



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


**Tractatus De Brevisima Ad Perfectionem Via, hoc est De
Perenni Divinæ Voluntatis Intentione, Executione,
Apprehensione**

Družbicki, Kaspar

Coloniae, 1723


Nutzungsbedingungen


[urn:nbn:de:hbz:466:1-55395](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55395)



Th. 3284.

J. XV. 36





TRACTATUS
DE BREVISSIMA
AD PERFECTIONEM
VIA,

hoc est

DE PERENNI DIVINÆ
VOLUNTATIS

INTENTIONE, EXE-
CUTIONE, APPRE-
HENSIONE.

Auctore,

R. P. GASPARO DRUZBICKI,

*Soc. JESU.
Collegii Sordis Jesu parochiae
Coloniæ*

Sumptibus CAROLI JOSEPHI BENCARD.

Anno 1723.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestati.



PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

EGo infra Scriptus Soc. Jesu per
Provinciam Rheni inferioris
præpositus Provincialis, po-
testate mihi à Patre nostro Michaele
Angelo Tamburino præposito Ge-
nerali ad id factâ, Carolo Josepho
Bencard Bibliopolæ Coloniensi,
Facultatem ad decennium conce-
do recudendi librum qui inscribi-
tus; BREVISSIMA AD PERFECTIONEM
VIA, sive de bona intentione, Au-
thore R. P. Gasparo Druzbecki è
Societate Jesu: Eidemque Jus Pri-
vilegii Cæsarei eatenus indulgeo,
ut ipso invito librum hunc nemo
deinceps recudere, nemo intra S.
Romani



Romani Imperi fines & hæredi-
tarias S. Cæsareæ Majestatis Pro-
vincias importare , aut venum
exponere audeat, in cujus rei fidem
has literas manu propriâ Subscri-
ptas, in officii mei Sigillo munitas
dedi. Coloniae 26. Novembris,
1722.

L.S.

PETRUS SCHMITMANN
Soc. Jesu.

FACULTAS

R. P. Provincialis Poloniæ.

Cum Opus, quod inscribitur,
 TRACTATUS de brevissima ad
 Perfectionem via, à P. Gaspare
 Druzicki Societatis nostræ Sacerdote
 conscriptum aliquot ejusdem Socie-
 tatis nostræ Theologi recognoverint,
 & in lucem edi posse probaverint,
 potestate mihi facta ab A. R. P. N.
 Carolo de Noyelle præfatæ Societatis
 Generali Præposito, facultatem con-
 cedo ut Typis mandetur, si iis ad-
 quos pertinet ita videbitur. Cujus
 rei gratiâ has manu meâ firmatas si-
 gilloq; Officii munitas dedi.

Cracoviæ 8. Martii, 1682.

STANISLAUS BRANICKI

Soc. JESU per Poloniam Præpositus
 Provincialis.



CAPUT

Præoemiale & I.

*Perfectio in quo consistat? quid
requirat? quàm varia ad
illam tendentium ge-
nera?*



Perfectio Christiana veraque r.

Sanctitas consistit in unione cum DEO, omnis perfecti-
onis atque Sanctitatis fonte,
principe, largitore: quæ unio sicut potest esse major,
& minor, & maxima, ita potest esse perfectio major, minor, maxima. Quemadmodum enim nihil bonum est nisi DEUS, vel quod à DEO est, in tantumque omnia sunt aut bona aut optima, in quantum à DEI multum plurimumque bonitate participant, (sicut etiam in tantum aliqua sunt mala aut pessima, in quantum plus aut penitus, ampliusque à Divinâ bonitate recedunt) nihil quoque perfectum est, nisi vel DEUS, vel quod de Divina perfectione communicat, sive illi unitur; in tantumque omnia sunt, aut perfecta,

A aut

aut perfectissima, in quantum ad DEI perfectionem plene aut plenissimè accedunt, & illi adjunguntur.

2. Undè fit, ut omnes illi, quicunque ad consecrationem perfectionis vocantur, vocentur continuò ad consecrationem Divinæ Unionis. Et quia Divina Unio supponit, & prærequirit, necessariò, accessum perfectionemque ad DEum, ideò ne cesse est, volentem DEO uniri, ad DEum accedere, atque proficisci: profectio porro ista requirit viam; quare festinanti ad unionem DEI, opus est cognitione viæ ad eam unionem ducentis. Atque hîc Rhodus est & saltus, pro Sanctitatis perfectionisque, ac unionis divinæ Professoribus, & sectatoribus. Sæpe enim quibus benè velle non deficit, benè ire valdè deficere consuevitur fitque ut (multùm miserando eventu) multi qui bonum finem habere videbantur, errore viæ decepti, ad malum deveniant terminum. Alii non malam quidem ingressi viam, longam tamen, & anfractibus, mæ andrisque impertinentibus plenam, priùs ad mortem, quam ad metam pertingant; rarissimi verò brevem & tutam adepti viam, curriculo & quasi compendio ad destinatum optatumque perfectionis & unionis divinæ pertingant scopum.

CAPUT. II.

Cur multi, quanquam perfectionis studium professi, eam tamen non assequantur?

3 **A**C mihi quidem, hanc quærentium perfectionis

fectionem, varietatem identidem perpendenti, causamque investigare cupienti, hæc duo potissimum examinatione diligenti digna visa sunt. 1. Ecquid tandem sit, quo homines perfectionis alioqui studiosos (certè illi quærendæ natos & devotos) impediat, quo minus ad unionem divinam (hoc est, ad perfectionem summam) vel aliquando vel citò perveniant? 2. Effetné aliqua brevis, tuta, constans, & omninò absoluta, immediateque ad DEUM, & ad ejus unionem ducens, via?

Atque quantum attinet ad illud; Ecquid 4. impediat homines, quo minus ad DEUM, ejusque Unionem perveniant? sentire mihi in mentem venit, causam hujusce mali aliam non esse, quàm quia homines, si quando DEUM quærunt, aliquid præterea quærunt, quod non propter Deum quærunt & ut fortè nihil quærant aliud à se, at se ipsos unà cum Deo quærunt invenire, habereque volunt. Quo posito, impossibile est, eos, qui ita affecti, & ad aliquid præter Deum non propter Deum alligati sunt, Deum invenire, ad Deumque pervenire, & ipsi intimè uniri. Fieri enim non potest, ut Deus ibi ab eo inveniatur, atque comprehendatur, ubi & à quo, aliquid præter solum Deum non propter Deum quæritur. Deus namque aut solus est, & nemo præter eum: aut si aliquid est præter Deum, DEUS non est. Sufficiens est nimirum DEUS, tum sibi, tum omnibus (quippe ex illo omnia) estque præterea generosus, & ubique è dignitate suâ, tum agit secum, tum agi ab aliis tractarique vult: Quo fit, ut qui cum illo aliquid

præterea quærit aliud, dedigneretur Majestas illa à tali homine inveniri, sed relinquat illum, vel solum, vel cum illa, quam simul secum ambiverat, creatura: hæcque sit pœna, indignè, & non in bonitate de Deo sentientis. Atque quia passim hujusmodi homines invenire est, qui simul cum Deo aliquid non propter Deum, quin quod deterius est, aliquid aliud, relicto DEO, quærunt, ideo plurimi sunt, qui non tantum ad perfectam cum Deo unionem nunquam perveniunt, sed etiam nullo penitus modo ad Deum appropinquant. Si homines scirent, possent, vellent solum Deum quærere, ipsoque solo contenti esse, & suorum desideriorum capacitatem explere, & neque se, neque aliud quicquam à se & Deo diversum habere, nullo negotio, nullo labore, Deum in omnibus invenirent, illique unirentur.

5. Sed ubi invenitur ista Sapiencia? aut quis persuadeat infelicissimis mortalibus solo Deo contentos vivere, & ut in eo omnia, quæ cupiunt, quæque cupere possunt, se invenire credant posse? Et fortè non deesset, qui alia omnia pro Deo contemptui habere, atque deserere vellet, sed qui etiam à se desciscere, sese negligere, à se abire, & ad solum Deum sine *psal.* seipso pergere, in animum inducat, *non est qui 52. faciat hoc bonum, non est, usque ad unum.*

P.4. Omnia enim alia non gravatè utcunque homo deserit, at à seipso, vel vix, vel nullo modo avelli potest. Sicut enim primum omnium quod homo habet, est ipsemet, ita etiam primum quod amat, idem ipse, propter se autem amat omnia, unde postquam amare desierit

omnia

omnia, adhuc potest amare se, quia adhuc habet ipsum se, post abjecta omnia. Hinc mirum modo fit, ut cum homo omnia propter se amet, non possit omnia deserere, nisi prius desinat se amare, propter quem amaverat omnia: & tamen vice versâ sæpè fit, ut homo postquam deseruerit omnia, adhuc nihilominus amet se ipsum. Nimirum sicut amare potest propter se omnia, ita etiam propter amorem sui potest deserere omnia: relictis ergo omnibus, potest adhuc homo habere amorem sui: quod tunc accidit, quando videt se non posse utendo aliis obtinere conservationem sui.

Hinc sæpè multi hunc mundum, & parentes, & omnia deserunt, Monachique fiunt, propter amorem sui: scilicet, vel quia sperant, melius se habituros in claustrum, quam in mundo; vel quia perdere salutem ad infernumque decidere timent, &c. quod posterius, quamquam ex sese malum non est, imò honestum censetur, multum tamen redolet proprietatem amoris, & vicinum est amori sui ipsius: facileque in hunc scopulum impingunt homines, eique ita tenaciter adhærent, ut ab eo nec ipsi se avellant, nec avelli patiantur unquam; cum tamen certò certius sit, in viâ Spiritus progredi, & ad unionem cum DEO pertingere cupienti, necessarium esse, ut gratis DEO serviat, gratuito DEUM colat, nec illum aut præmii spe, aut supplicii metu (esto his juvari & exitari, sed non principaliter moveri possit) veneretur, observet, diligat.

Et hîc est punctum deceptionis plurimorum, etiam Perfectorum qui post abjectum mundum

mundum cum suis omnibus vanitatibus, ad DEum festinare, imò & appropinquare, tum sibi ipsis, tum aliis videntur, à quo tamen vel longe absunt, vel si forte propius admittuntur, tamen subito repulsam patiuntur, quia ad DEum sine mundo quidem, at non sine semetipsis tendunt; amant enim seipfos, fovent seipfos, blandè tractant seipfos: passionum suarum, iudicii, voluntatis, amoris, honoris, æstimationis propriæ abnegationi, non intendunt, sed ista omnia secum ad DEum trahunt, & ita ipsimet sibi in hâc viâ impedimento sunt, ipsimet parietem inter se ad Deum exstruunt, ipsimet sibi tenebras & caligines offundunt, quibus involuti, in itinere ad Deum cæcutiunt, progredique non possunt, sed in luto propriæ immortificationis hære coguntur, & qui cum seipsis Deum habere conabantur, nec DEum habent, nec seipsis contenti sunt. Quod si scirent post abjecta omnia etiam abnegare, & relinquere se, illico invenirent Deum. Quid enim aliud in rebus superest homini, post abjectum se, & alia creata omnia, nisi DEus, qui est extra & supra omnia?

CAUT. III.

*Cur multi Perfectionis amantes,
tardè ad eam perveniant, &
sæpè prius vivere desi-
nant, quam eâ po-
tiantur?*

8. JAM quantum attinet ad illud: Ecquid impe-
diat

diat, & retardet homines, quominus citò & mature ad Deum perveniant, frequenterque priùs ad vitæ, quàm ad Perfectionis finem veniant; ita equidem (salvis rectiùs sentientium judiciis) statuo & sentio. Duobus modis potissimum quæri à creaturâ DEum posse. 1. Ita, ut quærat DEus non solus, sed simul cum ipso alia quærantur. 2. Ita, ut quærat solus DEus, & nihil præter ipsum. Potest autem quæri Deus & alia cum Deo bifariam adhuc. 1. Tantum concomitanter; ita scilicet, ut & DEus quærat, & nihilominus quærantur alia simul cum ipso, sed non propter ipsum. 2. Relative; ita scilicet, ut & Deus quærat, & alia præter DEum, relatè tamen ad Deum, seu propter Deum. Quære Deum non solum, sed alia cum ipso, non propter ipsum, pessimum est, & Deo, homineque dignè de DEO sentiente, prorsus indignum, ut supra dixi. At verò quære Deum, non solum quidem, sed tamen nihil aliud quære, nisi propter ipsum, est bonum: reduciturque ac coincidit cum illo quærendi Deum modo, quo solus Deus, & nil præter eum quæritur. Quanquam enim aliquid præter Deum quærit, quia tamen id, non nisi propter DEum facit, ideo magis Deum, quàm aliud quærit, quod homini in hac vitâ viventi satis est, imò & necessarium. Necessarium inquam, quia homo (saltem dum hic vivit) DEum ita solitariè amare non potest, ut nihil præter ipsum amare possit, tenetur enim ex præcepto charitatis Divinæ, DEum super omnia, & propter Deum omnia diligere. Quidquid interea ex parte hujus fiat

in Patria, non disputo: mihi enim certissimum etiam videtur, quod Beati in cælo non ita nude solum Deum amant (ubi tamen amant illum possidentque perfectissime, & completissime) ut simul non ament omnia alia in ipso, & propter ipsum. Ex duobus ergo modis quærendi DEum supra positis, unus omnino pessimus ac reprobandus est, alter optimus & usurpandus, exercendusque, quo nimirum ita DEus solus, quæratur, ut nihil præter ipsum non propter ipsum quæratur.

9. Sed ex hoc ita exposito, nondum satisficit difficultati initio positæ, verum est præterea addendum illud, quod DEus solus & alia propter Deum quæri possunt duobus modis, quos antequam explico, illud insuper præmittere, necesse habeo.

10. In omni actione nostra rationali, duo intercurrere necessario. 1. Actionem ipsam. 2. Finem, Motivum, Regulam actionis: propter quem nimirum finem? quo motivo? & juxta quam Regulam? exercetur actio. Ita (in re nostra loquendo) Actio quærendi Deum duo includit. 1. Ipsam quæsitioem Dei. 2. Finem & motivum quo quæritur, sive regulam (idem enim hæc sunt) juxta quam quæritur. Actio quærendi DEum per se spectata bona est, imo uniformis, & quasi unius generis, at Regulæ juxta quas hæc quæsitio exercetur, & modi, atque viæ, quibus in hac quæsitioe inceditur, ut bonæ sint, non uniformes tamen, hoc est, non æque bonæ omnes sunt. Aliæ enim aliis dantur meliores. Universim autem, & doctrinæ causâ, loquendo, dupli-

duplices sunt Regulæ atque viæ, quibus in quærendo Deo inceditur. 1. Quædam tales sunt, ut immediate, brevissime, compendio, directè ad Deum deducant, immediateque Deo jungant, nec ante necesse sit hominem ab iis viis regulisque deflectere, quam ad Deum ipsum ab iis deducatur. 2. Quædam verò tales sunt, ut indirectè, per ambages, longosque circuitus, mediatè ad Deum ducant, mediateque ipsi jungantur sitque eas identidem necesse permutare, relinquere, ac post imperfectiores, magisque mediatas ad perfectiores minusque mediatas transire, donec tandem ad Deum ipsum immediatè pertingatur, & vera cum ipso unio, acquiratur.

Ad propositum igitur redeundo, duo II. modi sunt, DEum & ipsum solum, omniaque alia propter ipsum quærendi: unus immediatus alter mediatas, uti modo dixi: & postea etiam plus, clariusque dicturus sum. Qui itaque DEum solum, & alia propter ipsum quærunť mediatas modis, & qui indirecte per quosdam anfractus, circuitusque ad DEum tendunt, his hoc non raro evenit, quod quærimus, nempe ut prius ad vitæ, quam ad Perfectionis finem, hoc est, ad veram cum Deo unionem perveniant. Dum enim longas & Mæandricas ineunt vias, cùm suos quæque habeat gradus, & nōdos, & ex una ad aliam fiat transitus, dum solvuntur nodi, dum superantur difficultates, dum conscenduntur gradus, dum de viâ ad viam transitur, & illa cui jam insueveras, tanquam inutilis dediscitur, nova alia veluti perfectior, ab elementis disci-

tur, eunt dies, menses, anni, vita integra, nec ad DEI familiaritatem, ad unionem, ad comprehensionem pervenitur: & sanctitas quidem habetur, amicitia DEI habetur; at consummatio sanctitatis, at amicitiae summitas, & convictus familiaris, at deliciae aliquae bona majora, & delicatiora DEI, non habentur. Quare? longa via suscepta est, quae bona quidem est, at moram facit, & cogit haerere in imperfectioribus, inque rudibus ac primis disciplinae Sanctae rudimentis, tempusque terere, quod melius in aliis fuisset collocatum.

12. Et haec causa est, quare ex tot perfectionis studiosis, quibus plenissima est in omnibus sui partibus (potissimum vero in iis, quas Ordines Religiosi tenent) Ecclesia, rari admodum sint, qui verae & consummatae perfectionis possessione gaudeant: ita ut dicere debeat Sponsus ille caelestis, quod est Cant:
- cant*
6.7. *Sexaginta sunt Reginae, & octoginta concubinae, & adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, una est Matris suae, electa genitrici suae &c.* Quia enim multi sunt in Ecclesia, qui sincere & ex animo partim perfectius, partim imperfectius, mediatus immediatusque Deum quaerunt, & ejus familiaritatem ambiunt, ideo per Reginas per concubinas, idque tanto illo numero designantur: at quia rari sunt & pauci, qui perfectissime immediatissime, ac rectissime ad Deum tendant, ideo delicatissimae, simplicissimaeque columbae, ejusque unicae, perfectae, electae nomine appellantur

lantur ; Qui sint autem isti ? ex sequentibus patebit.

CAPUT. IV.

*Dari directam & brevissimam
ad Perfectionem viam,
& quanam illa censen-
da sit ?*

SUPERERAT quærendum : Estne aliqua bre- 13.
vis, tuta, constans, & omnino immediata
ad Deum, ejusque unionem perfectam via.
Et esse quidem talem viam haud obscure in
proximè præcedenti capite declaravi. Nunc
id tamen fusiùs, enucleatiusque tradendum
est. Sentio igitur esse aliquam certam re-
gulam, atque viam, qua quis incedens, rectâ,
immediate, compendio, ad DEI unionem
pertingat. Atque nisi ego fallor, omnium ju-
dicio illa brevis, compendiosa, immediata,
directa, segura, perfecta ad Deum perveni-
endi est ratio censenda, quæ nullas habeat di-
gressiones, & circuitus, quæ quidquid in aliis
est, in se contineat, quæ non primò ad aliquid
aliud à Deo, postea ad Deum, sed rectâ ad ip-
sum Deum ducat quæ sit omnium aliarum via-
rum finis, ad eamque omnes aliæ redigantur, &
coeant ; qua Christus ad Deum incesserit ; qua
Deus ipse denique ad se veniat, à se ad nos
prodeat, iterumque à nobis ad se redeat : &
ut brevius dicam, illa ad Deum omnium ju-
dicio, rectissima commodissimaque via est,
quæ ad Deum per ipsum Deum ducit. Ad Deum
enim

enim non est alia brevior, commodiorque via, quam ipse Deus. Talem igitur qualem descripsi ad Deum perveniendi regulam & viam dico esse, eamque non aliam quam ipsum DEum. Sed ne obscurum per obscurum explicare, aut potius intricare cui videar.

14. DICO. Ad DEum perveniendi commodissimam rationem, Voluntatem Dei esse, in eamque illas omnes, quas modo recensui proprietates apprime convenire; quod ita breviter declarari potest, & ex sequentibus uberius patebit. Omnis Actio in homine aliquid quomodocunque agente, vel est bona, vel mala: mala est, quæ tendit ad finem illicitum, rectæque rationi difformem, & consequenter Divinæ Voluntati oppositum. (Recta enim ratio, & Divina Voluntas idem sunt, quoad rationem moris & honestatis, siquidem Voluntas Dei regula est rectæ rationis, & ideo ista recta, quia illi conformis) Bona hominis actio est, quæ tendit ad finem licitum honestum, rationi rectæ, simulque Divinæ Voluntati congruentem. De intentionibus quibus actiones humanæ depraventur in præsentî nihil attinet dicere, parum enim interest, dexterne an sinister abberres, modo aberres a recto. Bonarum intentionum, quibus scilicet opera humana bona redduntur, multa quidem sunt genera, hoc tamen omnibus commune est, quod quælibet earum, si bona est, ad DEI Voluntatem tandem resolvi debet, ita ut illa bona sit Intentio, quæ DEI Voluntati congruit, sicut illa mala, quæ ab hac recedit.

Ex

Ex quo illud sequitur, quòd quisquís per bonas actiones ad Deum pervenire vult (aliter autem pervenire non potest, uti certum est) is nullo modo in suis actionibus à Dei voluntate deflectere debeat: Si enim deflexerit, per bonas actiones ad Deum non ibit. Sequitur ultra & illud: Omnes actiones humanas ad Deum hominem deducentes, ultimò tandem ad iter, Divinæ Voluntatis deflectere, & aliis omnibus viis omissis, hanc unam insistere, per hancque unam demum ad Deum pervenire.

Exemplo res fiet manifesta. Non peccare, vel bene agere, est unum ex his quæ hominem ad Deum ducunt: Sed regula bene agendi, aut non peccandi varia esse potest. Nam potest quis non peccare, ut vitet infernum, ut cœlum possideat, ut Christum imitetur, ut conformiter rationi vivat, ut aliquid à Deo impetret, vel ne gratiâ Dei excidat, &c. hæ omnes intentiones sunt, ob quas quis potest nolle peccare, hæ tamen omnes non aliter bonæ sunt, nec aliter hominem peccare nolentem, bonum faciunt, nisi quatenus cum Divinâ Voluntate congruunt, neque aliter ad Deum hominem adducunt, nisi quatenus executores Voluntatis Divinæ reddunt: Ex quo certe manifeste sequitur, quod carentia peccati, non prius hominem ad Deum adducat, ipsique uniat, quàm eum posthabitis relictisque omnibus aliis intentionibus, ad Voluntatis Divinæ executionem deducat. Atque ita vel ex hoc uno certum est, Voluntatem Divinam, ejusque intentionem,

tionem, esse finem omnium aliarum intentionum, omnesque regulas & vias ad Deum, in hanc unam tandem revolvi: ipsam autem aliam post se non habere, sed rectâ ad Deum deducere, & quod consequens est, omnium aliarum viarum regularumque perfectionem complecti, & compendium earum esse.

16. Jam verò quòd hæc ipsa Voluntatis Divinæ intentio & executio Christo familiaris fuerit quodque non per aliam, sed per hanc solam viam ad Deum ille iverit, clarum satis est, tum ex ipsiusmet frequentissimâ de se attestatione: *Meus cibus est, ut faciam Voluntatem ejus, qui misit me. Ego enim quæ placita sunt ei facio semper. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Ego mandata Patru mei servavi, & maneo in ejus dilectione, &c.* Tum etiam ex eo, quia nulla alia Christo ad Deum perveniendi via superfuerit, quàm hæc unica Divinæ Voluntatis: non enim illum metus inferni, non cæli spes, non alicujus alterius imitatio, non mortificatio passionum suarum non quid aliud tale ad bene agendum, maleque non agendum impellere poterat, prout per se clarissimum est: Sola igitur Voluntatis Divinæ via Christum ad Deum & perducere potuit, & perduxit.

17. Denique quod Deus nonnisi per suam Voluntatem ad nos veniat, in se sit, ad seseque redeat, probare nihil attinet; palam enim est, Deum non cogi ab alio, ut nos aut creet, aut gubernet, nobiscumve moretur, sed suâ duntaxat ad id inclinari omnipotentissima,

simâ , suavissimâque Voluntate. Similiter certum est , Deum diligere semetipsum bene velle sibi , complacere sibi , gaudere de semetipso , frui seipso , beatum esse seipso ; nec in triplici illâ personâ , unâque naturâ seipso , non jussum ab alio , non Còactum , sed spontè voluntarièque (etsi non liberè) voluntateque suâ propriâ necessitatum. Quæ cum ita sint , manifestum relinquitur , Divinam Voluntatem esse certissimam , compendiosam , directissimamque ad Deum perveniendi viam præsertim , quòd (ut hoc etiam addam) ducat ad Deum per ipsum Deum. Neque enim aliud est Voluntas Dei , & aliud ipse DEUS , sed unum omnino & idem ; quoniam idem est in Deo esse & velle , nec inveniri quidquam potest in Deo non Deus. Quare si Voluntas Dei Deus est , & per Voluntatem Dei ad Deum itur : utique per Deum ad Deum itur , estque ipse Deus via ad seipsum ; & quia nil Deo propinquius ipso Deo , nulla via brevior & propior est ad Deum , ipso Deo : ire ergo ad Deum , per voluntatem Dei , brevissima via est , ut non immerito quidam Sanctorum , sic Deum roget. *Trahere nos Domine ad te , per te , propter te ; ad te , quia tu es vita : per te , quia tu es via , propter te , quia tu es veritas.*

Cùm ergo , ut jam satis notum est , brevissimâ , & perfectissima , immediatissimâque via ad Deum sit , Voluntas Dei , necesse est , omnes eos , qui non solum nolunt à Deo Deique unione penitus aberrare , sed etiam qui volunt præterea citò , & compendiò ad

ipsum

ipsam pervenire, relictis aliis viis, tum ad Deum non ducentibus, tum per circuitus longos ducentibus hanc unam viam Voluntatis Divinæ terere, calcare, & tenere: necesse est, inquam relictis omnibus aliis exercitiis, etiam piis, & uti potest videri, valde solidis ac sublimibus, vel renuntiare, solamque hanc Dei Voluntatem nudè & præcisè intueri, vel huic uni submittere, & ab eâ ad illa alia exercitia fructum derivare, illorumque tædiosam longitudinem, suavissimis facillimisque hujusce compendiis delinire: quod an fieri debeat, & quomodo possit, operæ pretium jam est declarare: quod quidem ita faciam, ut eâdem operâ, difficultates ex prædictis enascentes dilucidem.

CAPUT V.

Occurritur dubiis contra dicta surgentibus, & quæ sit perfectissima Christum imitandi ratio: Curque necessarium fuerit Christum venire, docetur.

19. **M**OTUS aliquis his, quæ jam dicta sunt, dicere fortasse poterit; Hinc sequi, quod quis Christum Dominum in suis operibus imitando, per Christumque ad Deum, juxta ipsiusmet præceptum pergendo, ad Deum aut non sit, aut tarde & ægrè sit perventurus: cum tamen Apostolus disertè dicat,

cat,

cat, quòd non sit aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi utique nomen JESU; & ipse Christus non minus clare pronuntiet. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Ego sum via, veritas, & vita.* Quomodo igitur, si Christus est via ad Deum, sine quâ nemo ad illum pervenire potest, alia quædam brevior via ad Deum statuitur? Equidem non dico ad Deum per Christum perveniri non posse; clarè enim hoc verba Evangelii, atque adeò omnis Christi œconomia, convincunt: sed dico, dari altiore quandam, quin & magis immediatam (si nunc Voluntatem Dei à Christo ut Homine secernamus) ad Deum perveniendi rationem, quàm est per Christum; quin addo, dari talem, sine quâ ne ipse quidem Christus si ab eâ separari posset, via esset, aut utilis esset; & à quâ Christus ipse habet hoc, quòd sit ad Deum via. Neque enim Christus aliter & aliunde est ratio ad Deum accedendi, quàm ex Dei voluntate; adeò, ut ad Deum per Christum perque ejus fidem ac doctrinam & imitationem perveniri non posset, nisi Voluntati Divinæ hæc fides, doctrina, imitatioque in niteretur; quia enim Deus voluit nos in Christum credere, & hanc fidem nobis prodesse, idcirco, & nos credere tenemur, & fides nobis prodest: fac hæc Deum nolle, ruunt omnia.

Quod quidem tum multis aliis argum- 20,
tis, tum illo imprimis probatur, quod supra
in hunc ipsum finem proposui, quando dixi,
Christum ipsum, nec per aliam viam ad Deum

ivisse, neque pervenire potuisse, quam per hanc Divinæ Voluntatis. Certe enim Christus ad Deum pervenire necesse habuit. Quoniam ipse ait: *Vado ad eum, qui me misit. 16.13 A Deo exivit, & ad Deum vadit; ascendo 20. ad Patrem meum, &c.* Si autem necesse habuit ad Deum pervenire, debuit & viam habere: Via Christi ad Deum, fuit Voluntas Dei. Ergo consequenter regula operum Christi, quibus ad Deum ibat, fuit Voluntas Dei. Habuit ergo Christus altiore regulam, quâ ipse ire, & dirigi in eundo ad Deum debuit. Hanc igitur regulam, quæ Christum rexit, & perduxit ad Deum, dico altiore esse, & magis immediatam rationem perveniendi ad Deum. Ea propter nullum opus Christi nobilius, majusque est, teste Scripturâ, quam Voluntatis Dei executio: nec ullius rei nobis tam illustre (addo & tam solum) exemplum dedit, quam Voluntatis Divinæ exequendæ. Quidquid enim fecit, studio Divinæ Voluntatis exequendæ fecit. Ergo Christum etiam in hoc imitari, est in maximo opere illius eum imitari; in hocque solo illum imitari debemus. Scripturam autem quam citavi, dico, esse illum Pauli locum: *Ad cum; Christus factus est obediens usque ad Phil mortem, &c. propter quod & Deus exaltavit illum, &c.* Hic enim Paulus expressit, causam Exaltationis Christi non aliam, quam Voluntatis Divinæ executionem.

21. Neque hæc res est Christo Domino injuriosa, quin potius gloriosa; altissimum enim nobis modum Christum imitandi, exponit

ponit & proponit : facit enim & docet , non tantum , ut pro regulis nostrorum operum opera Christi assumamus , sed etiam ut secundum quam regulam Christus opera sua direxit , & nos secundum eandem dirigamus , & quâ viâ Christus ad Deum ivit , nos etiam eandem tendamus ; quod sine dubio celsius est imitationis genus , quam si opera ejus tantum attendentes , regulam autem operum ejus ignorantes , nostra opera operibus ejus , non regulæ ejus accommodemus . Sicut nemo negarit , quod perfectius imitetur Magistrum discipulus Pictoris , tunc , quando ex eadem arte , ex qua Magister pingit aut pinxit imaginem , & ille similiter illi similem pingit , quàm si artis Magistri sui ignarus , præceptorumque , ad imaginem tantum à Magistro profectam respectans , similem illi depingere conetur : qui enim sic imitatur , artem non scit , nec regulam , proinde nec Magistri perfectionem assequitur : neque omninò Magistrum , sed opus Magistri imitatur , proque arte ac regula operationis suæ , exemplari per artem depicto utitur . Pari ergo ratione , qui opera talia facit , qualia fecit Christus , & ideò tantum , quia ille fecit , benè quidem is facit , & aliquomodo Christum imitatur , non perfectè tamen imitatur Christum , sed potius tantum opus Christi , quoniam nec operationis Christi modum , nec artem imitatur , aut exprimit ; at verò ille denum Christum per omnem modum imitatur , qui & hoc facit quod Christus , & eodem modo , ex eadem arte , secundum eandem re-

gulam, secundum quam Christus fecit: hoc est enim verè discipulum esse, hoc est perfectionem Magistri affectum esse, quodque discipulo sufficere, Christus non dubitavit asserere, quando dixit: *Sufficit ei* (discipulo) *si sit sicut & Magister ejus*, Ex duobus igitur hisce benè operandi modis. *Facio istud quod Christus fecit, quia Christus fecit*. Et: *Facio istud quod Christus fecit, quia Deus praecepit nobilior, excellentiorque est modus posterior, quàm prior: tum quia nobilior est Dei voluntas, exemplo & opere Christi: (secludendo personam operantis) tum quia ipse Christus Dominus, non primum modum sed secundum tenuit: ex quo etiam sequitur, quòd non is, qui primum operandi modum, sedis qui secundum tenet, Christum Dominum imitetur, quoniam quem modum Christus in operando tenuit, & ipse tenet.*

22. Atque ex his confestim solvitur altera cum hac connexa difficultas. Dixerit enim forte aliquis. Gratis Christum in mundum venisse, neque fidem in Christum, ejusque imitationem nobis ad salutem necessariam: Siquidem (ut dicebam) sequendo solam Dei Voluntatem, eique in harendo salvari possumus. At enim ego non dicebam, sine Christo-Homine pervenire nos ad Deum (stante hoc rerum humanarum ordine, qui defacto est) posse; sed tantum dixi, perveniri immediatius, & altiore via, quàm per Christum hominem, etsi non sine Christo Homine; eâ scilicet viâ, quâ ipse prior, & ad exemplum nostrum pervenit Christus, per
Volun-

Voluntatis nempe Divinæ executionem, quæ supponit Scientiam sui . atque cognitionem; cognosci vero non potuit, nec potest, nisi per Christum; ipse enim à Deo datus est Magister & expositor Divinæ Voluntatis, idque non speculativus tantum, docendo nos quid DEUS velit, quid jubeat, quid vetet, quid consulat, quid approbet, quid (uno verbo) facere nos velit? sed etiam practicus, dicendo suo exemplo, quomodo hoc ipsum, quod faciendum docebamur, faceremus.

Quæ causa est, cur Christus necessarius 23. nobis fuerit ad credendum, ad discendum, ad imitandum, ad valendum, curque non gratis venerit, curque etiam tam multa heroicarum virtutum opera in omni genere ediderit. Ad credendum quidem esse necessarium, quia oportebat nos credere Christum à DEO esse, & Deum esse; docendi auctoritatem, & verba vitæ æternæ habere: ad discendum, ut ab eo Voluntatem Dei disceremus; ad imitandum, ut ab eo modum Voluntatis Divinæ exequendæ practicum, & in exemplo haberemus: ad volendum, sine ipso enim nihil valebamus facere, nec Voluntatem Dei, aut scire, aut exequi, sed ejus ad id merito & gratiâ opus habebamus, ut ipse nobis promereretur & gratiam, & jus ad gratiam, per quam & cognoscere, & velle, & posse, & reipsâ exequi potentes essemus Dei Voluntatem. Sine ipso enim nihil possumus facere; in ipso vivimus movemur, & sumus; per ipsum, & in ipso, & ex ipso

sunt opera nostra omnia ; ab ipso habemus scire , velle , posse , facere pro bona voluntate nostra. Alioqui autem illis heroicis virtutibus opus non erat ad nudam Voluntatis Divinæ explicationem , imò nec ad nostram redemptionem : redimi enim unicâ guttulâ Sanguinis , imò unico nutu oculorum ejus poteramus : verum ad nos suo exemplo instruendos ; ut scilicet , non tantum sciremus Voluntatem DEI , & quæ agenda , non agendavé essent , sed etiam exemplar ac modum eadem agendi haberemus. Qui modus non poterat facile nobis infirmis & rudibus , quia & malitiâ corruptis dari in uno aliquo levi Christi Domini facto , sed oportebat heroica , & plurima facinora virtutum excellentium exhiberi : puta , Amoris Dei , & proximi , & inimicorum : Obedientiæ ad DEUM , & omnem Magistratum : Spei contra spem ; Humiliationis & Humilitatis , Patientiæ , cum Innocentiâ & recte factis : Paupertatis Spiritûs , Castitatis , Mansuetudinis , Resignationis , Silentii , Zeli , Discretionis , &c.

24. Non est ergo dicendum , posse ad DEUM perveniri sine Christo , sed potius posse & debere ad DEUM immediatè perveniri exemplo Christi , ductu Christi , modo eo , quo pervenit Christus. Passus est Christus indigna , quia Deus ita voluit , possumus & nos , quin & debemus injurias pati , quia Deus idem vult , idque se velle ostendit , per doctrinam , & per exempla Christi ; ut scilicet , & vellemus tanto exemplo moti , & ut sciremus , tanto Magisterio practico docti , & deni-

denique ut possemus, copiosissimis efficacissimisque ejus meritis adjuti, & roborati Divinam suam Voluntatem, quantumvis ardua volentem exequi. Quod utique excelsissimum genus est, tum imitandi Christum, tum pertingendi ad Deum.

Totum hoc, quod dixi hactenus, robur ^{25.} sumere potest ex eo, quod Christus Dominus aliquando dicebat, Observationem verborum seu mandatorum Dei, beatitudinem & salutem conferre; aliquando dicebat observationem mandatorum suorum id facere. Faciebat enim hoc, quia aliquando se ut hominem à Deo discernebat, aliquando se ut Deum in æquali portione cum Deo ponebat. Quando se à Deo separabat, non suorum, sed Divinorum verborum custodiam salutarem esse dicebat, tanquam altiùs esset, Dei, quàm sua verba custodire; quando Deo se ex æquo ponebat, verba quoque sua spiritum & vitam esse, hoc est, salutem & beatitudinem æternam illa servantibus conferre demonstrabat.

CAPUT VI.

*Studium exercendi se in solius
Divinae Voluntatis Intentione,
& executione, non præju-
dicare aliis piis exercitiis
ostenditur.*

AT enim nonnemo dicet: Ex hâc doctrinâ, ^{26.}
quam

quam tradimus, collegi videtur; Debere nos abjicere atque negligere tot media ad virtutem, tot exercitia sancta, tot Spirituales doctrinas à Sanctis patribus traditas & excogitatas, imò ab ipsomet Spiritu Sancto inspiratas; & quorsum tot libri, tot de rebus Spiritualibus tractationes; tanto labore & diligentia passim conscripta de acquirendâ perfectione volumina? Sed

27. Sciendum est, quòd in Bonis aliud sit, quærere perfecta, aliud sectari perfectissima: quòd aliud item sit pergere aliquò viâ longâ, & pergere compendio. Videmus de iisdem scientiis, alios ingentia, alios succincta componere volumina: videmus ejusdem uniusque artis præcepta, à quibusdam tradi fusissime, à quibusdam brevissime: neque tamen ob id minus placet, aut illorum exacta disciplinæ explicatio, aut istorum breve, fastidiumque levans compendium: & sane non video quid intersit, longanè an brevi methodo ad scientiam pervenias, dummodò pervenias. Quid quòd ingenia multa sunt, quibus quantò plura in explicando aggregas, tantò majores tenebras offundis, quantò paucioribus rem proponis, tantò illam percipiunt celerius & melius. Ita in re nostrâ loquendo; Bona sunt omnia quæ à Patribus de perfectione traduntur sed inter hæc bona, negat nemo alia aliis esse meliora. Omnia ad perfectionem ducunt, fateor, sed sicut perfectionis gradus sunt, ita & viarum ad illos, ascensuumque, varietas est. Certè bona erat lex per Moysen Judæis data, at melior gratia per
Chri-

Christum parta: unde Apostolus Mosaicam legem Christianæ legis respectu, *elementa Gal:4* vocat respectu scientiæ consummata. *Quan- 3.9.*

do Paulus idem scribeat, *Lac vobis potum dedi, & non escam, nondum enim poteratis; 1. Cor:*

bonum aliquid dederat quod lac ipse vocat, *3.*

& tamen solidum cibum se reservasse, nec apposuisse ob imperfectionem & incapacitatem illorum, hoc est, solidiorem aliquam doctrinam illis non exposuisse indicat. Similiter bona illa erant, quæ recensuerat,

antequam dixerat, *Perfectiorem vobis viam 1. Cor:*

demonstro; emulamini charismata meliora. 12.

Quin etiam Christus Dominus Apostolis dicebat: *Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo: Spiritus autem &c.*

Ergo, quæ tunc dicebat, eosque docebat, leviora erant, quæ portare poterant; quæ autem non docebat, quæque portare non poterant, altiora, graviora, perfectiora erant.

Et quid multis? Dico breviter. Sicut *28.*

datur bono melius, & meliøre optimum, ita ad bona & optima, dantur media bona, & dantur meliora; non secus atque ad perdocendam perdiscendamque Scientiam aliquam datur Methodus bona, datur melior; datur compendiosa, datur compendiosior.

Ita etiam ad Deum, Deique unionem, datur & assignatur via bona, datur assignaturq; melior & optima. Bona est ad Deum via mala non agere, melior bona agere, optima bona agere & mala pati. Bonum est, quando injuriam pateris, silere, melius, etiam in animo quietem habere; optimum gaudere, cupere, injurianti bene

velle, benè illi facere. Et quæro quando unus in injuriâ illata sibi, tacet, sentit tamen acerbum animum, & iram consurgentem, alter verò compressam habens passionem, non tacet solùm, sed gaudet de injuriâ, amatque hostem suum; horum duorum, uter majore passu ad Deum currit? uter compendiosiorrem viam ad Deum init? nonne hic potiùs alter, quàm ille prior. Ergo te ipso judice, si tibi daretur unam ex his duabus viis eligendi optio, hujus tu alterius, non prioris illius viam eligeres? quòd ubi faceres, nunquid te hoc pacto injurium in vitæ spiritualis Magistròs, putares, qui primum hunc patientiæ gradum ponunt *Silere in injuriâ*? Non utique, sed diceres potiùs, breviorrem te, & compendiosiorrem perfectiorremque viam eligere, non esse cur tempus consumas in infimo, cum possis alta conscendere: nemo quippe infimum terit gradum, ut teneat, sed ut ad altiora gradum faciat. Hoc igitur quod tu in tuâ electione diceres, & me in meâ dicentem audi: Omnis ad virtutem via bona est, si modò ad illam via est, at si melior potest, si potest & optima inveniri, ut quid cogor ad bonam, optimam habere si possum? ut quid cogor ad longam, si breviorrem habere, meliorremque possum? illa enim optima sunt media, quæ fini proxima: nam quæ à fine remota sunt, vix media, at potiùs extrema sunt.

29. Via ergo quæ Deo proxima est, quæ me immediate ad Deum adducit, Deo conjungit, hæc est optima. Atque hæc dico in præsentem,

non

non aliam esse, quam Voluntatis Divinæ cognitionem, intentionem, executionem. Aliæ viæ bonæ sunt, sed infra hanc sunt. Aliæ ut me ad Deum adducant, ad istam prius deducere, & in eâ collocare debent: quod ubi fecerint, recedunt, & huic uni officium, me ad Deum ducendi relinquunt. Quod si ita est, desipiamne, qui relicturas vias relinquo, & deducturam me ingredior si possum, si commodè, si commodiùs possum? Quocirca bonum enim agere benè, non peccare, ut infernum evadas; melius ut cœlum Deique visionem assequare: meliùs ut Christum imiteris; ut ne gratiam Dei perdas, ut legibus Amoris Divini satisfacias, amoremque DEI in te vividum esse protestaris, ut ob Amorem Dei te abneges: at omnium optimum est, ideò benè agere, & malè non agere, quia hæc est Voluntas Dei, & ut voluntatem ejus impleas, beneplacitoque ejus te conformes, & ad placitum, palatumque Divinæ Majestatis facias. Hoc quod optimum esse ex rectâ ratione judico, si etiam præeligo, aliisque propono, non ego illa alia contemno, illisvè injuriam aliquam infero, sed mihi consulto, sed sapienter ago, sed (quod caput est) secundum DEI voluntatem facio. Placet enim Deo & voluntas ejus est, ut inter duo bona, quorum alterum altero meliùs Deoque gratiùs, illud acceptemus, quod DEO gratiùs esse intelligimus.

CAPUT VII.

*Sicut DEI Voluntas præstat
rebus omnibus, ita eam in omni-
bus intendere & exequi, præ-
stare omnibus Spirituali-
bus exercitamentis,
docetur.*

30. **V**ix equidem puto posse quenquam repe-
riri, qui ambigat id gratius esse DEO,
quod suâ Sanctissimâ Voluntate plus appro-
bat. (Nam quid aliud est, gratum aut gra-
tius esse DEO; quàm à Divina Voluntate,
aut simpliciter, aut amplius approbari!) ut
tamen neque hoc intactum relinquam insolu-
tumque, & quia multum ad Divinæ Volun-
tatis commendationem facit, non abs re fa-
cturus mihi videor, si, quare hoc vel illud fa-
cere, propterea quia Dei Voluntas hæc est,
melius sit, atque adeò optimum, quàm ullo
alio fine idem facere, fusius aliquantò decla-
ravero. Ac universaliter loquendo, Facere
aliquid propter DEI Voluntatem quod me-
lius sit, quàm facere idipsum propter ullum
alium finem, ab hoc diversum, Causa est;
quia voluntas Divina melior est omnibus aliis
finibus, & rebus à se diversis. Quod quidem
multis & solidis rationibus demonstro.

31. *Primò.* Quia Voluntas Divina est finis
omnium aliorum finium: ita ut omnes alii ad
illam redigi reduciq; debeant, in tantumque
sint

sunt fines & esse possint, in quantum Divinæ Voluntati subordinantur. Fac enim e. g. nolle DEum, ut vitem infernum, ut sim in cœlo, ut Christum imiter; me facere aliquid boni, ut infernum vitem, ut in cœlo sim, ut Christum imiter, non tantum bonum mihi non erit, sed peccatum erit, quia contra Dei voluntatem erit. Quod ergo propter evitacionem inferni aliquid boni agere, bonum sit à voluntate Divina est, & illa est fons bonitatis istius. Melior ergo est Voluntas Dei, ejusque executio, studio evitacionis inferni, possessionis cœli, imitationis Christi.

Secundo. Omnia alia quæcunque tandem sunt, DEus non sunt, sed aliud à Deo. ^{32.} Voluntas autem Dei est ipse Deus: non ad DEum quomodocunque revocatur, reduci- tur, refertur, ut alia quælibet, sed ipsi DEO inest, ipse DEus est; quo cum melius nihil sit, cui dubium, Voluntate quoque Dei melius nil esse? nisi forte quis dubitet DEI voluntatem DEum esse; at hoc in mentem venit nemini, quisquis non penitus ignorat, quid sit DEus. Non enim in Deo est aliud & aliud, neque quidquam in ipso est non Deus. Neque ego hic loquor de Voluntate Dei objectivâ, ut vocant, seu de re, quam DEus vult; hanc enim constat posse Deum non esse, ut quando DEus creaturam aliquam vult; sed sermo est de voluntate DEI formali, & de actu ipso volendi, qui in DEO enim circa hanc aut illam rem, ut fiat, non fiat, sic, vel aliter fiat. Quæ voluntas actus est DEI & non distinctus à Deo, sed ipse DEus: qui qua-

quatenus aliquid probat, vel improbat, hancque suam approbationem vel improbationem sive beneplacitum nobis aliquo exteriori, nobisque cognito signo manifestat, puta, lege, consilio, rationis dictamine. Voluntatem suam nobis manifestare atque proponere, dicitur & censetur: huicque beneplacito sic manifestato nos conformari in actionibus nostris omninò, opus est, adèdè, ut hac conformatione benè operari dicamur, sicut sine hac male agere censemur, Esto ergo arctata & quasi alligata videatur esse hæc voluntas DEI ad limites creaturum, quæ hac Voluntate fiunt, existunt, reguntur, agunt, aguntur, patiuntur, corrumpuntur, gubernantur, directè, permissivè, juxta sapientissima efficacissimaque ejusdem decreta; hæc tamen arctatio non est à Voluntatis ipsius Substantiâ, quæ tam lata & infinita est, quàm ipsa DEI natura; Sed ab objectis, circa quæ est, idque tantùm ex nostro & propter nostrum imperfectum, divinas res & perfectiones concipiendi modum. Sicut aqua ex mari in fluvium derivata, eadem est essentialiter cum mari, estque ipsum mare? à mari tamen differt, non per diversam aquæ naturam, sed in eo quòd limites, ripas, alveosque habeat, quos in mari non habet; quos si auferas, aqua illa mare erit. Hoc igitur cum sit Voluntas Dei, sequitur eam esse rem optimam, sequitur, propter eam operari, esse optimum, sequitur etiam per eam esse maximum ad DEI unionem perveniendi compendium. Ubi enim unitus fueris Divinæ Voluntati, DEO unitus eris,
& quan-

& quantum te Voluntati Divinæ adstrinxeris, tantum te ipsimet Deo adstrinxisti; quod in aliis prædictis non est, quia Deus non sunt. Sequitur denique per DEI voluntatem, & propter illam operari, esse per Dei essentiam, juxta Dei essentiam, propter Dei essentiam operari; dirigereque opera sua juxta Dei voluntatem, & ejus rectitudinem, esse dirigere eadem opera juxta essentialem Dei rectitudinem; facereque opera sua eo fine ac motivo, quia Deus vult, esse, facere illa eo fine ac motivo quia Deus est, & quia placet DEO, quia Deus sic fieri amat, sic faciendum censet, sic ipse faceret, quia hujus operis in Deo talis est idea, talis ars, talis perfectio: denique quia in Deo hoc opus tale est, & tale esse habet eminenter, quale ego facio. Quo operandi modo, sine dubio (modò quis intelligat, quod dicitur) nihil est per omnes gradus perfectius, sublimius, excellentius: adeò quidem, ut ne DEUS quidem aliam suorum operum regulam, (quæ utique perfecta est, & consummate recta) habeat, quàm istam, de quâ loquimur. DEUS enim ideo facit omnia, quæ facit, quia vult: ideo ita facit, quia ita vult; siquidem ratio DEI velle ejus est: & nemo potest ei dicere: Quare hoc, aut quare ita facis? habet enim in promptu dicere; An non licet mihi facere, quod & quomodo volo?

Atquè ex hoc, quod dixi, manifestè 33.
colligitur, nullas intentiones, quamvis pias,
altas, solidas quis reputet, posse in nostris
operibus à nobis inveniri & applicari; nec ab
ulla

ullâ earum, tantum ad opera nostra bonitatis, rectitudinis, perfectionisque descendere, quantum ab hac unâ, Divinam voluntatem exequendi intentione, modò non sensibiles nostras devotiones, sed rectam rationem consulamus, & non ex devotione, gustusque perfectione, sed ex lumine divino perfectionis, meritiq;ue gradus desumamus, ac metiamur. Quod addiderim propterea, ne cui asueto fortè operari propter amorem Christi, B. V. honorem, hujus illiusvè Sancti, mirum aut durum videatur, relinquere has devotiones, & ad unam solamque Dei Voluntatem, in omnibus intendendam, exercendamque sese transferre. Hoc enim faciendo, non solùm perdet nihil, sed acquirat potius plurimum: tantoque magis faciet ad gratiam & palatum Christi, B. V. aut Sancti cujuscumque, quantò certius est, Christum B. Virginem, Sanctos, omnem suum cultum, honorem, gloriam, Sacro sanctæ DEI voluntati, & adscribere & submittere; & quantò certius est, honores & imitationes Sanctorum, non aliter nobis aut licitos, aut utiles esse, quàm ex Dei voluntate. Sed ut ad propositum aliquando redeam,

34. *Tertid.* Omnibus aliis intentionibus, melior est, Voluntatis Divinæ Intentio, quia hæc est Intentio Intentionum, regula regularum, principaliter regula, aliæ autem tantùm ratione istius, ut jam sæpiùs, & satis dictum,

CAPUT. VIII.

*Probatur adhuc Exercitium
Voluntatis Divina, prestare a-
liis Exercitiis, ex eo quòd omnem
eorum perfectionem contineat,
exercentique compendio
conferat.*

ESt etiam ex hoc capite, Divinæ Volunta- 35.
tis intentio & executio melior aliis omni-
bus, quia quidquid aliæ perfectionis habent,
quidquid conferunt operanti, hoc totum,
hæc sola, melius etiam, confert. Et quod
aliæ per ambages, longosque circuitus osten-
dunt, ad hoc ista compendio, synceriùsque
securiùsque deducit. Aliæ postquam ad suos
proprius terminos deduxerint, ultra non du-
cunt, sed perfectiori intentioni id muneris
tanquam suum relinquunt. Hæc nunquam
operantem deserit, sed per omnia vitæ Spi-
ritualis, operationumque perfectarum puncta,
rectè, sola, fila, sine vicariis ducit, usque ad
eelsissimas Sanctitatis & perfectionis peri-
odos. Hoc ita esse, operæ pretium erit, ni
fallor, demonstrare. Quærenti ergo Perfe-
ctionem, & cum Deo unionem, necessaria
est Mandatorum Divinorum observatio: *Si Matt*
enim vis ad vitam ingredi, serva mandata; 19.
at quid est, servare mandata, nisi exequi Vo-
luntatem Dei? Dixit Christus: *Si quis vult Luc.*
post me venire, abneget semetipsum, at quis 9.

- tàm se abnegat, quisve tàm se in manus Dei resignat, à seque desciscit, quàm is, qui in omnibus hoc solum quærit, quid Deus velit: hoc solum facit, quod Deus vult. Hoc solum optat & orat; *Fiat voluntas Dei*. Certè
6. si is sic operans, suam adhuc propriam retineret voluntatem, illa aut cum Dei Volunte cohæreret, & sic communis jam non propria esset, aut Voluntatem Dei facere, non esset illam facere. Inter propriam enim hominis, & inter Dei Voluntatem, medium nihil est tertium, quare qui solam Dei Voluntatem intendit, ubique, suæ voluntati propriæ nihil loci relinquit: Sicut si quis mari limitem tolleret, terras omnes auferret, aut demergeret.
36. Dicitum est Abrahamæ: *Ambula coram me*
Gen: & *esto perfectus*. Quæso quid est cum DEO
17. ambulare, nisi ubique Deum agnoscere præsentem, esse, atque illius motu sese gerere; hoc autem quis meliùs & exactiùs facit, eo, qui ubique solam & unam DEI Voluntatem intuetur; ad eamque se componit? utique hoc est sollicitè ambulare cum Deo suo: præsertim quòd Voluntas Dei Deus sit, quòd non possit non præsentem Deum cogitare, qui nihil vult extra ejus placitum operari. Ad sui cognitionem tantoperè (ut satis notum est) tendenti ad profectum necessariam, quâ ratione meliùs, certius, citius quis perveniet, quam per continuam Divinæ Voluntatis contemplationem? contraria enim nunquam magis elucescunt, quàm cum juxta sunt. Vitilitas hominis, malitia, obliquitas, fragilitas, ubi elucescet, si in conspectu Dignissimæ,

mæ, Sanctissimæ, rectissimæ, potentissimæ
Voluntatis Dei non apparebit? quomodo enim
se homo non cognoscat in Voluntate Dei,
quando toties experitur inclinari se ad contra-
ria Voluntati Dei, quando toties se videt,
aut deflectere, aut deflexurum fuisse à recto,
à vero à bono, nisi Dei fulciretur, & rege-
retur Voluntate? quid quod non aliunde sci-
mus, à quo bonum habemus, si quod habe-
mus, quàm è Dei Voluntate? quid quod vo-
luntatis nostræ, judiciorum nostrorum, con-
siliiorumque obliquitatem non aliter fidelius
exploramus, quàm ubi ea cum Divina contu-
lerimus voluntate.

Jam verò Deum, Deique sapientiam, 37.
providentiam, potentiam, suavitatem, effi-
caciã, omnia denique ejus mysteria, ubi ac-
unde melius certiusque perdiscemus, quàm
è Divinã voluntate? Sine quã nihil de Deo,
divinisque rebus scimus aut credimus: quid-
quid autem credimus aut scimus, ex ejus Vo-
luntate habemus: imò si quando recte an-
secus de Deo cogitamus nosse volumus, ad
Dei voluntatem non aliò recurrimus: hoc
enim tantum de Deo sentire possumus, quod
ille vult, & dat nos de se sentire posse: neque
tamen ideò minus certi sumus nos de illo bene
sentire, quia ex ejus arbitrio sentimus de ipso,
qui non aliter potest velle, ut sentiamus de
ipso, quàm ipse sentit de seipso: imò in quo
unum & idem est ipse sensus ejus de seipso,
& voluntas, quã nos vult sic vel sic sentire
de seipso.

38. Puritatem & Munditiam cordis, quæ sola ad visionem, hoc est, ad possessionem Dei sufficit, & requiritur, (*Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*) non aliter certius acquirere possimus quam cum totos nos uni Divinæ voluntati impendimus: quid enim immundum in me superfit, quando totum me Divina voluntas occupat: hoc est, quando me totum Divinæ voluntati impendo? Certè si quid in homine immundum est, aut ex homine, aut ex Deo est. Qui se voluntati Divinæ totum impendit, nil sibi ex se, quo ex parte suâ inquinari posset, relinquit: aut ergo amator Divinæ voluntatis solius nihil immundi in se habet, & sic purus corde est, aut si quid habet, à Divinâ voluntate habet; quod vel blasphemiam est dicere, vel necesse est immunditiam illam mundissimam esse.

39. Imò etiam non aliter homo facilius ad Nihilum sui reducitur planissimum quam isto studio voluntatis Divinæ; si enim verè nil aliud homo, quam solam Dei voluntatem operatur, cum hoc ipsum per eandem solam Dei voluntatem operatur (*Sine me enim nihil potestis facere. Et: Omnis sufficientia nostra ex Deo est*) sequitur in tali homine nihil ex homine remansisse, sed & opus, & operantem unum solumque Deum esse: Ergo in tali homine perit felicissimâ perditione verus homo totus, & novus si quis est in eo, Deus est, Divinusque. Nihil enim jam agit, tanquam agens, sed magis tanquam patiens, nec operatur tanquam ipse, vel tanquam per seipsam

plum, sed operatur tanquam Deus, tanquam per Deum, tanquam ex Deo, in Deo, propter Deum, cum Deo. Per quod tamen nihil minus de mercede aut merito deperdit, quin potius tanto de illo certior est, quanto manifestius se experitur non solum Deo subiectum esse, verum à Deo & in Deum absorptum; suaque opera tanto esse Deo gratiora, & præmio digniora, quanto minus sunt humana, plus autem divina.

Ex his autem necessario promanat, ad 40. unionem & contemplationem Divinam; non facilius perveniri, quam per eandem Voluntatem Divinam, sic enim purificato, purgato, mundato, à seipso extracto, exhausto, annihilatoque, & in Deum translato homini, quid restat, quam ut eidem uniatur, inhæreat, eum contempletur, in eo voluptuetur, ipso inebrietur, &, ut ita dicam, moderatissimâ velaniâ helluetur. Sanè, qui adheret Deo, scriptum est, *unus spiritus est I. cum eo*; at quis ita adhæret Deo, ut is, qui Cor. unum vult, unum non vult cum Deo? Pa- 6. tet igitur, nisi fallor, quidquid boni & perfecti est, in aliis Sanctis exercitiis, hoc in isto uno perfectiùs, sinceriùsque reperiri.

Jam verò quod compendiosiùs etiam & 41. breviùs reperiat, per sese ex dictis elucescit, quod in multis seorsim est, hoc in isto uno simul reperitur, & quod alia nonnisi multâ & magnâ plurimarum circumstantiarum observatione, difficultatumque aut devitatione, aut superatione cum multis, aliis post alias permutationibus, atque ab imperfectioribus

ad perfectiora progressibus, non sine tamen voluntate Divinâ, conferunt, hoc una & sola Divina voluntas, per Intentionem puram operibus applicata, illicò, & brevissimè, & rectissimè, & suavissimè, constantissimèque possidendum tradit.

42. Declaro rem exemplo. Volo hanc illam mihi injuriam pati æquo animo, ut Christi exemplum sequar, utque Filio Dei à Deo in Magistrum mihi dato, Domino, Redemptori, Regi meo, homo, discipulus, servus, conformer: volo autem illi conformis esse, quia hæc est Dei voluntas, placitumque hoc est ante oculos ejus: hic patiendi injuriam communis est modus, at de quo nunc ago, & quem hic commendo, talis est, resecat omnia intermedia, non ut mala, sed ut moram facientia: & dicit; Volo injuriam æquo animo perpeti, quia sic Divinæ placitum est voluntati. Eodem pervenio, quò & illi, qui priorem sequuntur modum, idem lucrum commodumque habeo, quia perinde ut illi, Divinam facio voluntatem; nec plus illi faciunt, quàm ego, nec minus ego, quàm illi: hoc solùm præ illis habeo ego, quia quo tardiùs illi, citiùs pervenio ego. Quin & illud supra illos fortè assequor ego, quòd illi in tantâ intentionem ferie, non rarò voluntatem Dei magno suo damno non attendunt, aut certe non nisi à longe, & indirecte intuentur: ego autem transitis levioribus, in quibus præcipuum robur succusque boni non est, medullam
- rectita-

rectitudinis, & sanctitatis, scilicet, Dei voluntatem certus & indubitatus teneo.

Atque in hoc meo exercitio illud prætere- 43.
rea inest commodi, quòd illud mutare nunquam, aut deserere, ad aliudque perfectius transire, necesse habeo, cùm tamen secus in aliis eveniat. Nam à timore servili, ad initialem aut filialem eundum est, ab amore concupiscentiæ ad amorem amicitia & benevolentia; ab amore Christi carnali & tenero, ad amorem Spiritualem, & serium; denique à Christo ad Deum, à Theandricis, ad pure divina transeundum est: ego autem sive Incipiens, sive proficiens, sive perfectus; sive in activâ, sive in contemplativâ, sive in mistâ occupatus sum vitâ, semper voluntati Dei inhæreo, quin & inhærerere debeo, quæ ita se mihi accommodat in omnibus, ut cùm immutabilis sit, mecum tamen mutetur, & incipientibus talem se præbet, ut solis Incipientibus videatur congruere: proficientibus talis apparet, ut ipsorum tantum putetur: perfectus sibi soli reservatam penè asserit. Non quod mutet Divina voluntas naturam, quæ, (ut dixi) est immutabilis, & eadem semper, sed quia usum sui variat, vel potius mutat eos qui se utuntur, redditque capaciores sui tantò magis; quantò illi ipsa uti pergunt impensius. Quod lumen in omnibus aliis piis exercitiis, vel non omninò, vel non facilè reperias ut unum omnibus commodè serviat, sed ita nata sunt omnia, ut omnia omnibus, unum uni, aliud alteri conveniat. Nullum igitur dubium esse, Voluntatis Divinæ, exercitationem

citationem omnibus aliis ad pietatem & perfectionem exercitiis, nobilior, melior, compendiosior, perfectior esse.

CAPUT. IX.

Intendere & exercere in omnibus DEI Voluntatem an præstet Intentioni quasitionique in omnibus Gloriæ Divinæ?

44. **N**on possum hoc loco præterire id, quod fortasse alicui facessere difficultatem in re propositâ posset. Diceret enim aliquis. Agere propter unicam (aut etiam majorem) Dei gloriam, eamque in rebus omnibus attendere, est sublime sine dubio magnæque perfectionis exercitium, multumque defæcata Intentio; atqui videtur hic etiam operandi modus deserendus esse ob istam quam dudum commendo Divinæ solius Voluntatis executionem, & in omnibus intentionem. Sed nimirum tam hæc præsens, quam alia per multæ dubitationes nascuntur non aliunde, quam ex sola non rectè Divinam Voluntatem animo concipiendi consuetudine, cujus fundamentum est imbecillitas imperfectioque nostri intellectus, qui res excelsas, per se alioqui notissimas, non potest tamen uno intuitu, ita prout illæ in se revera sunt apprehendere, sed eas necesse habet in multa partiri, & sic per partes concipere, cum tamen iis rebus partes nullæ in se sint, sed quia illas intellectus nostri fragilitas & imbecillitas attribuit, ideo

ideò ibidem inesse reiplâ opinatur. Eo modo, quo quibusdam oculis malè affectis accidere consuevit, ut cùm pupillam nescio quomodo in sectam, aut potius quasi sectam habeant, quidquid intuentur, duplicatum illis videtur, unamque rem duas esse ostendunt, quia scilicet ita apprehendunt.

Sic igitur & in re nostrâ accidit; quia Voluntas Beneplacitumque DEI à Gloriâ ipsius tanquam aliud ab alio diversum feceritur, ideò hæc, & huic similis non una dubitatio instituitur: cùm Voluntas & Gloria Dei tam unum sint, idemque, quàm unus idemque est Deus, & illa cum Deo. Non enim Deus gloriam extra se habet aut quærit (nimium verò misera & ingloria isthæc Dei gloria esset, quæ aliud à DEO, & extra DEum esset, quamque ille aliunde emendicare cogeretur) cuius ipse plenissimus est: sicut nec Voluntatem suam à nobis fieri vult, quasi eam ipse sine nobis longè & melius perficere non posset: sed gloriam à nobis habere vult, quia nobis hoc bonum est; & Voluntatem suam à nobis impleri vult, quia id ipsum etiam nobis prodest. Sicut ergo Voluntas DEI cum gloriâ ipsius idem sunt inter se, ita facere aliquid, ut Voluntas Dei fiat, seu quia Voluntas Dei est; & facere aliquid ut gloria Dei sit, vel quia hoc est è Gloriæ Divinæ incremento, idem omnino erit: præsertim quod gloria Dei tunc & non aliàs apud nos esse cognoscatur, quando Voluntas ejus à nobis perficitur: adeò, ut tunc gloriam Dei apud nos promovere dicamur, quando Voluntatis ejus gloriosissima decreta

executioni mandamus & urgemus. Quare ad Gloriam Dei opera sua dirigere, eademque Voluntatis Divinæ exequendæ gratia perficere, idem est: quocirca non desinit gloriam Dei quærere, qui propter Voluntatem Dei studet omnia facere.

45. Addo etiam, quod si quis velit Gloriam Dei à Voluntate ipsius separare, aliudque esse contendat, Gloriam Dei quærere, & voluntatem facere: huic illud unum appono: Censeaturne quis gloriam Dei quærere, qui cognoscitur Voluntatem Dei aut negligere, aut contra illam operari? Nemo certè sanus dixerit, è gloria Dei illud esse, quod constat Divinæ Voluntati repugnare; alioqui sentiendum foret, magis nescio quem alium Dei gloriam amare, scireque promovere, quam id Deus velit, aut nôrit facere. Igitur concedere debebit, gloriam Dei non aliter, nisi è præscripto Voluntatis Divinæ quærendam & promovendam esse: quod si ita est, quis jam dubitavit Voluntati potius Divinæ exercendæ, quam gloriæ Divinæ quærendæ insistere perfectius esse: quoniam clarum est, gloriam Dei sine voluntate Dei bene quæri non posse. Voluntatem autem Dei fieri sine incremento gloriæ Dei nunquam posse. Aut ergo voluntatem cum gloriâ Dei, unum esse, parique passu progredi concedendum est, aut curam Voluntatis Divinæ, curâ gloriæ Divinæ nobiliorem & excelsiorem esse sentiendum. Ecce autem nova consurgit dubitatio.

46. Est doctrina Spiritualium, tanto plura esse merita, quanto plures sunt intentiones bonæ.

bonæ. v. g. plus mereri eum, qui orat ex amore *Dei*, & ex humilitate, quàm qui ex solo *Dei* amore. Ergo etiam qui orat ex amore *Dei*, & ex *Dei* voluntatis implendæ studio, plus meretur, quàm qui ex solo *Divinæ* voluntatis studio.

Hæc quoque objectio ex ignoratione voluntatis *Divinæ* procedit. Vel enim putatur Oratio ex amore *Dei* facta valere aliquid, præscindendo à Voluntate *Dei*, vel nihil: primum putare absurdum est & falsum: dato autem secundo, sequitur orantem ex *Dei* ex amore, & simul studio *Divinæ* voluntatis non plus mereri, quàm orantem, ex solius studio *Divinæ* voluntatis, siquidem Oratio ut ex amore *Dei* profecta, nonnisi catenus aliquid valet, quatenus *Dei* voluntatem merendi vim habet. Sicut ergo qui orat ex amore, ex humilitate, ex *Dei* voluntate, nihil omninò facit, nisi ex *Dei* voluntate, & *Dei* voluntatem, ita etiam nihil meretur, nisi quatenus orat ex *Dei* voluntate: multiplicat autem intentiones verbo non re, quoad hanc partem (nam quoad exercitia virtutum fecus sentio accidere posse) meriti. Tantundem ergo agit, qui solam *Dei* voluntatem intendit, quantum qui præter illam aliquid addit. Sicut non plus solis capit aut videt, qui illum multis fenestris admittit, quam qui pleno illum àère liberoque immittit: nec plus capit aquæ de fonte per multos illam derivans rivus, quàm qui solum, sed totum habet fontem.

Ex quo patet, hîc circa *Dei* voluntatem 47.
conci-

concupiscendam errari; Conferitur enim voluntas Dei cum virtutibus, quæ tamen tantum distat ab illis, quantum fons à rivis, sol à radiis, univarsalis causa à particularibus effectis. Voluntas Dei non est virtus, sed fons & regula virtutum; dat virtutes, non est virtus: non illam meremur, sed ab illa, & illam. (Denique plus meretur apud Regem, qui illi servit, tantum ut placita Regis faciat, non ut quid mereatur, quam ille qui servit, ut aliquid à Rege obtineat.

Ad extremum quid est amare Deum, humiliare se, pati, abnegare, imitari Christum, nonne est voluntatem Dei facere? hæc enim omnia Deus vult, hæc omnia probat. Quare qui hæc facit, Dei voluntatem facit, & ita qui hæc faciendo meretur, faciendo voluntatem Dei meretur. Quod si plus meretur multa talia quam pauca faciendo, nihil sane mirum, quia plus meretur famulus multas Domini voluntates faciendo, quam paucas; omnes quam unam; multas autem Dei voluntates facit, qui multa prædicta facit: si tamen multæ voluntates sunt, & non potius una; vel ut dicam, quod res est: multæ sunt objective, una formaliter, & sic in dato casu, multa fiunt objecta voluntatis Divinæ, una fit voluntas Dei. Sed sicut melior est ipsa voluntas una Dei, omnibus creatis objectis ejus; ita melius facere propter unam ipsam Dei voluntatem aliquid, quam propter omnes simul creaturas, quæ essent ejus objecta; supposito quod ista essent separanda ab invicem: objectum scilicet, & voluntas objecti quæ est in Deo. CAPUT

CAPUT. X.

Triplicis DEI Voluntatis earumque definitiones, ac inter sese differentia explicantur.

NULLUS jam videtur esse locus ambigendi de 48.

hujus Exercitii præstantia, at illud aliquem torquere potest, cum voluntas Dei saltem sæpenumero lateat, qui fieri tandem possit, ut ubique homo & Voluntatem Dei assequatur, & exequatur? Quem nodum ut expediā, rationemque facile ubique Divinam voluntatem exequendi & cognoscendi tradam, necesse est à me prius, quid sit voluntas Dei? tum etiam? Quomodo à Deo nobis manifestetur? explicari. Non commemorabo autem Scholis & Theologis usitatas voluntatis Divinæ explicationes, & divisiones, tum quia subtiliores sunt, tum quia minus ad praxim accommodatæ, quam ratio nobis hîc proposita postulat. Non abs re tamen, nec à proposito adhorrenter fecero, si voluntatis Divinæ divisionem Mysticæ Theologiæ Magistris usurpatam, & ex S. Paulo desumptam, hoc loco vel obiter perstrinxero.

Illi igitur triplicem Dei voluntatem statuunt, non triplicem quasi diversam (una enim & eadem in Deo, idemque cum Deo Dei voluntas est, ut pridem docui) sed tripliciter consideratam. 1. Est Essentialis. 2. Interna. 3. Externa. Apostolus ita loquitur *Voluntas Dei bona, & Beneplacens, & Perfecta*; ita ut bona voluntas sit externa: Beneplacens

neplacens Interna, Perfecta, Essentialis, illa juxta Lyr. l. c. ad Rom. ad Incipientes, media ad Proficientes, ultima ad perfectos pertinet; dixerim ego, primam, hoc est, Externam & Bonam, esse Agentium; Mediam esse Contemplantium; Ultimam Excessivorum.

Essentialis voluntas Dei & reliquæ duæ, quoad rem ipsam, idem omninò unumque sunt: differunt tamen inter se per aliquas externas considerationes nostras atque conceptiones. Nam voluntas Dei spectata & sumpta ut est in se, sine ullo ad Creaturas ordine, prout scilicet nullo modo ad creaturas producit se profertque existentes, sed prout in solo Deo est, idemque cum Deo, & ipse Deus, hæc est illa quæ hoc loco dicitur Essentialis, & perfecta. Circa hanc Voluntatem, ita nudam, ita solam, ita ab omni creatâ specie & imagine similitudineque separatam, versantur & occupantur, potissimum quidem Beati in cælo, at etiam aliqui, sed rari in hac vitâ, Excellentes nimirum Sancti, & plane perfecti, & Deo digni, digni qui medullam & substantiam Dei, non per speciem & in ænigmate hauriant, & sugant; sed quos Deus omnibus creatis denudatos, ad se quoque limpidissimum Dei fontem, & recti principem, sine medio ullo admittat, & seipso pascat, altissimisque suis rationibus regat & gubernet.

50. Eadem voluntas Dei spectata & accepta non jam omninò ut est in seipsâ, atque in Deo, sed ut se profert ad creaturas existentes,

tes, non per signa tamen ulla, & effectus sensibiles, verum per solum quoddam lumen, quo illa se animæ hominis manifestat, ita copiose, diserte, & clarè, quin etiam experimentaliter, ut homo perfectè, atque clare experiatur cognoscatque, ipsam esse hoc quod est seu ipsam esse voluntatem Dei, beneplacitum Dei: dicitur voluntas Dei interna. Itaque Interior voluntas in hoc differt ab Essentiali, quod Essentialis se per se communicet homini, & ostendat, fruendamque det: Interna verò lumine superaddito additur, quo anima hominis, vel homo illustrat interius, plane intimèque cognoscit, sentit, experitur etiam, atque adeo degustat quid Deus velit, quòd hoc velit, in quâ re Deus habeat, & qualem habeat gustum Voluptatemque, si fiat, si exerceatur ab homine. Quid sit autem illud superadditum lumen, & an differât à conformitate ipsâ conjunctioneque humanæ Voluntatis cum Divinâ, & obscurum est explicare inexpertis, & ab hoc instituto alienum, & denique tum melius aliquid de hac Voluntate addetur, quando tertium genus voluntatis explicabitur.

Eadem ergo Dei Voluntas spectata & 49.
considerata, ut se foras prodit per externa signa, vel etiam per sensibilia, mediata, immediata; puta per leges, consilia, rationis dictamina, sive ea scripto, sive voce, sive naturali instinctu edicantur, dicitur Voluntas Exterior, sive Externa. Hæc differt ab Interna voluntate, quod etsi utraque se foras proferat, & prodat Creaturæ v. g. Homini,

Homini, Externa tamen profert se & ostendit lumine externo, nimirum lege, rationis dictatu &c. ideoque fiat regula operum humanorum tam internorum, quam externorum à liberâ operatione procedentium, cui se illa conformare necessario debeant, si recta, bona, meritoria, placita Deo esse velint. Interna verò voluntas profert se lumine interno, & intimo solius Dei proprio, ut inspirationibus, luminibus, elevationibus, & divinis quibusdam raptibus, attractionibusque, quibus anima absorbetur in Deum, audit & intelligit loquentem DEUM, & ita audit loquentem, ut simul intelligat, ipsum Deum & non ullum alium esse qui sibi loquatur, quemque audiat. Præterea intelligit, persentiscit sensu quodam, & gustu spirituali rationali, experimentoque suo indubitato comprobatur, quid Deus velit, quod hoc non aliudque velit denique degustat illum gustum Dei, quem habet in eo, quod res hæc fiat, ita fiat, tali modo, in talibus circumstantiis fiat. Externa voluntas sæpè, imò passim sentitur, videtur, auditur, scribitur in legibus, in præscriptis, regulis, consiliis, consuetudinibus: Interna semper intus est, prodire foras non potest, alioqui jam interna non est. Externa fundatur in creaturis, æternæ Divinæ legis particulam in se habentibus Interna in Creatore Deo cognoscitur, & ex illo hauritur, in illo legitur, ab illo discitur. Externa Voluntas rudibus, & exercitatos sensus non habentibus se accommodat: Interna Spiritualibus servit. Essentialis consummatos delectat. Externa ad Internam, Interna ad Essentialem deducit:

deducit : ubi externa perfecta est , ibi interna inchoatur ; hæc ubi perficitur, Essentialis degustari incipit. Ubi enim homo ita insuefcit omnibus divinis legibus perfecte, sincere, nudè, solitarie obtemperare, ut in omnibus suis operibus, nihil attendat, nihil spectet, nil cupiat, nisi unicam solam nudam Dei voluntatem, lege, præcepto, consilio, consuetudine, rationis, lumine, expressam, illico ad Internam voluntatem ab hac Externâ transit, illicò, inquam, admittitur ad voluntatem Dei intus in se degustandam & non jam per externas legum imitationes, sed per ipsius Dei internas inspirationes cognoscendam, imò experimento probandam. Sed hæc non contingit nisi, uti dixi, ei, qui insuevit nudè, sincere, solitarie soli Divinæ voluntati sibi quomodocunque expositæ obsequi : Nam si quid præterea aliud à Divinâ voluntate diversum, quidquid illud sit, intendit nullo modo gustum internæ Divinæ voluntatis assequitur : nondum enim solam Dei nudamque voluntatem intueri didicit (quod omninò ; & accurate notandum est ; multis enim perfectis alioquî hominibus hæc res injicit remoram repulsæque causa est, quominus intimiùs ad Deum ingredi possint.) Per intuitum autem nudum soliùs voluntatis Divinæ nihil aliud intelligo, quam resolutionem illam arbitrii humani liberi, quâ ablegatis, abdicatisque suis affectionibus, passionibus, propriis voluntatibus, operibus quæ præ manibus habet, etiam bonis & sanctis, modò á Divinâ vo-

luntate separatis, eligit, decernit, & statuit, exequiturque unam ac solam impermissam Dei voluntatem; idque eo præterea modo, ut prædictæ resolutio mentisque libera electio, non vi, coacte, violenter, & impetuosè, sed leniter, modeste, ex habitu, uno verbo, ex consuetudine quasi fiat. Violentia enim illa signum est rebellantis adhuc propriæ voluntatis, & animi passionibus suis desideriiisque privatis nondum exuti, nondum dominantis. Quod tamen intelligo quoad partem animi superiorem, non quoad inferiorem. Nam ordinatis beneque edomitis superioribus partibus, quidquid in inferiore fiat; non nocet, quia ratione domatur, & regitur. Quod solatium est iis, quibus effrenatæ passiones obtigere, & quibus perpetuum diabolicæ tentationes bellum indicunt. Hoc enim illos nihil impedit ab Internæ Voluntatis deliciis gustandis, modò illis difficile non sit abstrahere se ab omnibus creatis, & imprimis à seipsis: totos verò se ad unam solam Dei voluntatem ubique spectandam & exercendam convertere.

§2. Jam verò ubi ad perfectum Internæ Voluntatis iutuitum & gustum homo pervenerit, in tantoque gradu stare, & eò dignè se gerere didicerit, atque assuefecerit, continuo ab Essentiali voluntate fruendum admittitur. Sicut enim quam diu nubes & caligines àerem occupant, nec Sol radios evibrare, nec ipse Sol videri potest, pulsus autem nubibus, & deterfâ caligine, fundunt se radii, & ipse conspicuus redditur;

ita

ita quamdiu humanus animus nubes & caliginis propriarum voluntatum in se fovet, lux Divina Solque justitiæ in eo non potest elucescere, at pulsus nubibus affectuum (quod per sinceram illam, & nudam Divinæ voluntatis Externæ intentionem fieri diximus) illi-
cò radii Solis in terram cordis nostri vibrantur, serenitasque enascitur; per radios autem, tanquam per indices, & duces ad conspectum Solis ipsius, Patris luminum, & radiorum fontis pervenitur: spectandumque se Sol ille Divinus exhibet, non in radio & luce suâ, sed in semetipso.

Atque ex his elucescit tandem illud, quod erat initio Capitis hujus propositum: quidnam scilicet sit Voluntas Dei? & quomodo nobis illucescat? Cæterum non sum nescius hæc obscuriora esse paulo: quin imò fateor ita obscura esse, ut ipsâ explicatione obscurentur: hæc enim non Magisterio aut lectione humanâ, sed disciplinâ divinâ, & experimento proprio addisci amant, & nata sunt: ad illud ergo tandem veniamus, ut dicamus. Quomodo Voluntas Divina in rebus omnibus quæ agenda occurrunt, cognosci possit?

CAPUT. XI.

Tria esse Actionum humanarum genera: indifferentes actus in individuo non dari: de parte animi superiore & inferiore disputatur.

AD ostendendum, quomodo cognosci possit

possit, quæ sit Voluntas Dei hîc & nunc
supponere oportet; Omnium actionum no-
strarum genera tria esse: Aut enim imperatæ
sunt à Deo, aut prohibitæ ab eodem, aut
nec imperatæ, nec prohibitæ, sed arbitrio
nostro relictæ, & quasi indifferentes, ita ut
neque peccemus si agamus, neque si non aga-
mus. Actiones si imperatæ sunt, aut prohi-
bitæ à Deo, indubitatum habent Dei volun-
tatem; neque est in hoc immorandum; labor
solum in hoc est, ut sciamus quæ nam jubeat,
quæ prohibeat Deus. Per jussionem autem
prohibitionemque divinam, non intelligo so-
lius Dei mandata, & placita, per ipsummet
lata, sed intelligo omnia cujuslibet Superio-
ris scita, & decreta, qui legitimam habent
imperandi, nosque hîc & nunc ad obtempe-
randum obligandi potestatem: siquidem etiam
hæ leges ab homine modo debito latæ, ad
tempus vel pro semper divinæ censendæ sunt,
cum non sit potestas nisi à Deo: atque ideò,
sub actionum imperatarum vel prohibitarum
à Deo, nomine, complector Leges Regum,
Rerumpubl. justas, Præcepta Ecclesiæ, Pa-
rentum, Superiorum: Regulas, Constitu-
tiones, Ordinationes Ordinum & familiarum,
aliorumque legitimorum quorumlibet Supe-
riorum, confessariorum, Præsidum: de
Luc his enim dictum omnibus est. *Qui vos*
10. audit, me audit, qui vos sperint me
sperni: Et omnes hi, usurpare possunt
Joan illud: *Mea doctrina, non est mea, sed*
7. ejus qui misit me Patris. Quare quidquid à
Deo immediatè, per se, mediatè, per homines
jussum

jussura est, faciendum est, eo solo, & uno fine, quia Deus fieri vult; nullo alio admisso, quali intento. Similiter quidquid ab eodem Deo, modo dicto prohibitum est ne fiat, nullo modo faciendum est, postpositis omnibus aliis respectibus, solo eo fine, quia Deus non fieri vult.

Quod attinet ad Actiones Indifferentes, §4. & nec imperatas, nec prohibitas à Deo Deique ullo Vicario, de his paulo fusiùs, enucleatiusque differendum est: utilis enim est ea doctrina, & ad præsens institutum valde necessaria; neque omninò cuique ad sciendum prompta.

Sciendum igitur imprimis est: Actiones indifferentes, quæ scilicet nec bonæ sint, nec malæ, sed possint esse & malæ & bonæ, pro variâ circumstantiæ bonæ vel malæ, ad objectum alioqui nec bonum nec malum ex se, adjectione, nullas in individuo & particulari tales esse: Sed omnem singularem actionem hominis, necessario aut bonam aut malam esse debere: Indifferentes autem, & nec bonas nec malas, tantum in communi consideratas inveniri; reipsâ verò in usu & praxi humanâ, non dari. Quod vel ex eo clarè patet; quia actionem, quæ nec bona nec mala sit, necesse est esse talem, quæ nec agenti nec alteri ab agente ullo modo profit; at actio, quæ talis sit, ut nulli profit, otiosa est (secundum ea, quæ Gregor. Basil. Hieron. de otiosis verbis dicunt) Ergo consequenter mala: otiosum quippe est malum & de eo reddendam esse rationem in Judicio Veritas asserit. Actio igitur quæ

nec bona nec mala sit aut nulla est, aut mala est.

55. Est autem hujus rei ratio sublimior, scituque dignissima, quamvis paucis nota. Nimirum, Naturale esse unicuique rei (rectam rationem id dictare) ut secundum eum gradum operetur, qui in illâ est supremus & perfectissimus. Ita, v. g. vivens aliquod non satis habet operari juxta infimum suum gradum, puta Corporis, sed exigit poscitque operari secundum gradum vitæ. Rursum animali sentienti, non satis est operari secundum gradum vitæ, sed exigit operari secundum sensum: si enim tantum ageret, ut vivens, non ageret ut animal, sed ut non animal. Pari ergo ratione, homo rationalis, non satis habet, habereve debet, si tantum agat secundum gradum vitæ aut sensus, hoc enim est agere, ut caudicem, vel bullam, sed poscit ratione duce, agere secundum rationem, quia hoc est agere hominem, & ut hominem, hominisque personam & dignitatem sustinere. Quam ad rem penitius intelligendam.

56. Sciendum est. Naturam hominis non esse, vivere; quia hæc arborum, & fruticum est; non esse Sentire, quia hæc natura brutorum est; sed esse rationalem esse. Ergo tunc homo secundum naturam vivit, quando secundum rationem vivit, & tunc homo agit naturaliter, secundumque suam naturam, quando vivit rationabiliter: rationabiliter autem vivere homo potest vel recte, vel non recte hoc est vel secundum rationem rectam, vel

vel secundum rationem corruptam & erroneam. Si ergo vivit rectè rationabiliter, id est, secundum rectam rationem, bene honesteque agit. Si vivit & agit non rectè rationabiliter, id est, secundum rationem errantem, malè & non honeste agit, Semper tamen propter finem agit, quia rationabiliter agere, est propter finem agere; qui finis si bonus est, & honestus, eumque homo appetit, actio est secundum rectam rationem; si verò finis malus est, & non honestus, eumque homo appetit, actio est secundum non rectam rationem; si reprobatur cum debet, actio est, secundum rectam rationem. Si ergo homo agit propter finem (quando agit ut homo) semper, & finis semper vel est malus vel bonus, semper homo agat secundum rationem rectam vel non rectam, & sic semper malè vel benè, nunquam autem nec male nec bene, quia finis nunquam datur nec bonus nec malus, sed semper aut est verè, aut fictè bonus.

§7.

Quod si quæras, quid si homo agat secundum inferiorem suum gradum, puta, sensualitatem, aut vitæ, agitne bene? Dico, pessimè, non enim agit hominem, sed bestiam, sed caudicem ut dicebam. Jam igitur si homo naturâ & ratione duce, poscit, & tenetur agere secundum gradum suum supremum, scilicet rationem, sequitur quòd quotiescunque sic non agit, peccet in naturam & rationem. Jam vero quid est agere secundum rationem? nemo dubitat, quod sit agere propter finem sive bonum (bonum enim & finis sunt idem) si igitur homo semper

per tenetur agere secundum rationem, tenetur etiam agere propter bonum, & propter finem, at actio quæ enim propter finem, seu propter bonum, debet esse & necessario est bona (sive verè bona, quando est finis verè bonus, sive tantum putative & apparenter, quando finis verè malus in se est apprehenditur tamen ut bonus) ergo si homo tenetur semper agere propter finem tenetur habere semper actionem bonam, bonam inquam quomodocunque, vere vel putative, tendentem scilicet in bonum verum vel apparens. Agit igitur homo semper propter finem, & si agit propter finem semper, nunquam actio ejus est indifferentes, sed aut est omninò bona, si est propter finem bonum verè, scilicet honestum, & rectæ rationi conformem: aut est omninò mala, si est propter finem malum in se, & rectæ rationem difformem.

58. Neque verò potest assignari ullus finis in particulari, qui nec difformis, nec conformis sit rectæ rationi; Vel enim congruit humanæ naturæ, & illa congruentia honesta est, & digna quam recta ratio appetat, & sic est finis rectæ rationi conformis: vel illa congruentia non est digna, quam recta ratio appetat, esto aliàs naturam delectat; & sic finis verè est difformis rationi, estque malus, & actio propter illum est mala, vel denique non congruit naturæ, neque apprehenditur ut talis ab Agente, & sic finis non est, nec quisquam agit propter illum; propter illud enim omnia agunt, quod convenit, sive quod bonum est: unde Philosophus

sophus dixit : Finem esse id quod omnia appetunt. Maneat ergo tanquam certum, quod nunquam homo agat indifferenter, & quòd nullæ actiones possint dari indifferentes, sed omnes aut bonæ sunt aut malæ. Si tamen extra usum & exercitium spectentur, assignari indifferentes possunt, quatenus objecta quædam reperiuntur, nec bona nec mala in se : at ex applicatione praxique, possunt esse bona aut mala : quæ applicatio fit, quando actio circa talia objecta exercetur.

Juvat rem exemplo demonstrare. Am-^{59.}bulare ex naturâ suâ nec bonum nec malum, hoc est, nec honestum, nec turpe, nec rationi conformè, nec difforme est : potest ergo ambulatio fieri & bene, & male : Si nimirum addas aliquid quod si honestum vel turpe : ut si ambules propter amorem Dei, propter sanitatem, ambulatio est bona, quia amor Dei, sanitas, sunt honesta bona ; Si ambules, ut fureris, ambulatio est mala, furtum enim est malum & turpe. Atque hætenus ista extra controversiam sunt. Quæritur jam : Ambulare ut ambules, quia commodum est, quia delectat, sitne honestum an turpe ? Et respondeo : Ambulare præcisè ut ambules, alio nullo fine, turpe esse & malum, quia rationi difforme, difforme autem quia caret fine, caret autem fine, quia finis est aliquod bonum, ambulatio autem nec bona nec mala ex se est, finis igitur esse non potest ; ergo ambulare ut ambules, est sine proposito fine ambulare, quod

est sine ratione agere: sine ratione autem hominem agere, est contra rationem agere; ratio enim vult juxta se semper agi. Neque dici potest, tunc ambulationem esse finem ambulationis, quia si est finis est bonum: at suppositum supra, ambulationem nec malum nec bonum esse, non potest igitur esse finis nisi aliud addas, quod illam ex nec bono nec malo, faciat bonum & consequenter finem: Similiter ambulare quia commodum est tantum, vel rationi rectæ congruit, & est honestum, vel ab illâ discrebat autem, & est turpe discrebat quia non est actio rationabilis: non est autem, quia non est propter finem naturæ rationali congruentem: est quidem congruens naturæ simpliciter, sed sensuali tantum: at hominem propter bonum solius suæ sensualis portionis non decet operari (sic plane prout illum non decet operari ut bestiam) alioqui si hoc deceret, deceret hominem luxuria, ingluvies, aliaque bestialia opera: non teneretur homo reprimere passiones appetitus sensitivi, quod absurdum est: Neque video discrimen inter hæc duo: Ambulare quia sensualem naturam delectat, & Actus luxuriæ obire quia eandem delectat. Quod enim ambulatio ex se honestari possit per aliud v. g. Intentionem fanitatis, etiam actus illi possunt honestari, per usum Matrimonii &c. intentionemque prolis. Denique quorsum dixit Apostolus. *Mortificate membra vestra, &c. Si spiritu facta carnis mortificaveris &c.* quorsum, inquam, dixit, si propter commodum solius sensualis naturæ agere ho-

hominem decet. Sed de his satis superque actum.

Serendum deinde est, in homine duplicem esse vitam, seu potius, duplicem animæ portionem: Superiorem seu Rationalem ac Spiritualem: Apostolus lib. c. vocat Spiritum) Inferiorem (seu sensualem, Scriptura vocat carnem, opera carnis, legem membrorum &c. Duæ istæ portiones ita conjunctæ sunt, ut simul repugnent sibi, imò & sese oppugnent quod expressit Apostolus cum dixit: *Video aliam legem in membris*

meis, repugnantem legi mentis meæ. Et

Spiritus concupiscit adversus carnem, & caro adversus Spiritum: imò etiam Poëta.

Video meliora, proboque: Deteriora sequor.

In hac perenni portionum istarum pugna (perenni dixi, quia semper igniculus, ut abiebat ille jam moribundus apud Gregor. vivit) hoc evenit, ut si inferior superiorem debellet, actum sit de nostrâ virtute, totaque salute & vita spiritali supernaturali, imò & rationali naturali. Si superior inferiorem vincat, tantò nos beatiore in hac vitâ simus, quanto hæc victoria certior, firmior, consummatio est. Porrò hoc habet ea pugna commodi, quòd nunquam Inferior Superiorem de bellare possit portionem, nisi nos vel potius ipsa pars Superior, ultrò & sponte inferiori succumbat: è contra Superior Inferiorem semper (auxiliante divinâ gratiâ, quæ semper præsto est) vincere possit, modo pugnare & oppugnare non desistat; quæ victoria & debellatio, non est in hoc posita, ut alterutra

pars

60.

Rom

7.

Gal.

5.

pars extingatur extirpeturque , ita sicut
 Stoici de Apathia sensere : (semper e-
 nim quantumcunque pars inferior Superiorem
 debellet, prodet se velit nolit pars Superior,
 & inferiorem victricem fugillabit : unde est
 quod pessimi quique , semper tamen remor-
 sum conscientia , hoc est repngnantiam par-
 tis Superioris victæ contra Inferiorem vi-
 ctricem sentiant : & vicissim optimi quique
 & Sanctissimi (Christum cum Sanctissimâ Vir-
 gine exceipio) semper tamen brutos motus,
 & rationem aut antevertentes aut respuentes
 plus minus experiuntur) sed in hoc sita est
 prædicta victoria , quòd alterutra portio æ-
 mulæ suæ dominatur & prævalet. Nam hoc
 solum Deus ab homine vult, ut partem sui Su-
 periorem subjiciat Deo, præponat autem &
 dominari faciat sensualitati suæ , inferiori par-
 ti, & ut id cum virtute ac merito faceret,
 liberè illum id facere voluit libertatemque
 ideò dedit. Hanc libertatem pars inferior
 tentat sæpissimè, sed tamen violentat, & co-
 git nunquam, alioqui libertas non esset : has
 tentationes libertas necessario sentit, sed in
 eas non libere consentit : unde non peccat
 sentiendo, sed consentiendo. Neque Deus
 præcepit homini, ne sentiat, sed ne consen-
 tiat. Sentire enim est hominis & naturæ,
 consentire est libertatis, & rationalis naturæ,
 ideò etiam sensum non subjecit libertati, sed
 consensum : consentire autem est, partem
 superiorem inferiori subdere. Quia ta-
 men non vacat periculo semper tentari, aut
 sæpe, & quia gutta cavat lapidem, &
 denique

denique quia hæc tentamenta possunt & solent esse, gravia, molesta, fortia, multum partem Superiorem debilitantia, idcirco homini impositum est onus sensualitatis mortificandæ, ut nimirum dum mortificatur, minus valida ad tentandum reddatur. Neque ut amplius homo cum suâ parte inferiore agat, ab homine requiritur. Imo ita hæc mortificatio imperatur, ut extinctio prohibeatur. Sic hostem debes perlequi, ut serves civem. Caro & sensualitas à naturâ data est homini si- ve animo ad consortium: post peccatum data est ad Exercitium, & prælium: Sic ergo te cum illâ debes gerere, ut illam vincas in prælio, serves tamen pro consortio, quod peccatum peperit, extingue, quod natura dedit, fove.

Quamobrem Deus optimus, qui ab initio fecit hominem rectum, ad eamque rectitudinem omnibus modis, quantum ex suâ parte sufficit reducere conatur, ita hominem instituit, ut Superiorem seu racionalem partem relinqueret in arbitrio ejus, atque potestate plenissimâ pro quocunque & omni tempore, ita ut homo ejus arbitrii liberi, potestatisque vi, possit hanc sui partem vel subdicere sensualitati, partique inferiori, vel Deo ejusque voluntati conformare & subdicere, partique inferiori præponere; adjuvante in hoc hominem divinâ gratia. Inferiorem verò partem non ita moderator ille Supremus hominis libero arbitrio subdidit, ut ei semper subesse pars ista posset, quoties homo vellet, aut ut eam DEO subdicere, & par-

& parte Superiore in officium redigeret cum liberet. (Hoc enim donum status innocentiae amissus, nobis sustulit) sed tantum ut ejus impetibus & furoribus homo parsque ejus superior posset non credere, eosque ex parte retundere, seque ipsam ab consensu in ejus desideria immunem servare posset deberetque, concessit, & præcepit. Unde fit, ut homo volens nolens raptetur ad ea per partem inferiorem sui, à quibus ratione Superiori abhorret; juxta illud: *Non quod*

Rom *volo bonum facio, sed quod nolo malum hoc ago*

7. *ideoq; jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: Et illud: Volo aliam*

Rom 7. *legem &c.* Hinc etiam fit, ut nec DEUS ab homine exigat, nec teneatur homo violentas istius infimæ, & infirmæ suæ patris impeditioes excindere, ac non sentire, sed tantum tenetur oportunis afflictationibus sui asperitatibusq; ne frequentes sint, ne violentæ, ne superiores & fortiores parte rationali: uno verbo, non tenetur facere homo, ut eas non sentiat, sed ut quam minimè sentiat, & ut nunquam consentiat; hoc si homo facit, satis facit; non tantumque non peccat sentiendo, sed potius merendi & pugnandi, & vincendi, & coronas obtinendi hinc occasionem habet, si prout decet, legitimè decretat; decretat autem si sensui non consentit, si repugnat, si se sentire gemit & dolet: si in proposito non peccandi præsertim mortaliter, firmissimus, & quasi abstinatus est: si arma numquam abjicit, nec dat manus impugnati inimico, estque sibi conscius atque credit, se restitisse:

hæc

hæc enim sunt signa certa sufficientiaque pugnae & victoriae, nec DEUS scire nos voluit, habereque certiora: quod notandum diligenter est iis, qui dubitant, consenserint necne in peccatum: si enim sibi conscius est firmum propositum tenuisse non peccandi, certus sit etiam se non consensisse: esto aliqui videatur sibi non satis viriliter obstitisse, debilitas enim illa obsistendi, quæ fuisse videtur, non à defectu firmæ in bono voluntatis, sed à violentiâ tentationis fuit, & ita non ille debiliter obstitit, sed fortiter impugnatus est. Quando ergo homine agente aliquid, motus à parte inferiori insurgunt, ipso repugnante, & per partem rationalem obsistente, atque ab usu rectæ rationis, fidei luminis, DEI voluntatis non recedente, periculum peccati nullum est, modo perseverantia in resistendo non desit.

His ergo ita præmissis, ad ostendendum quâ ratione in actionibus indifferentibus Divina voluntas invenienda sit, accedamus: quia verò præsentis capitis moles excrevit, ideo id comodiùs in novo capite præstabimus.

CAPUT. XII.

Actiorum indifferentium generatrix esse, & quomodo in singulis Divina Voluntas investigari debeat, docetur.

Videtur non tam inquirendum, quomodo
in

in actionibus indifferentibus Dei voluntatem inveniamus, quàm potius quomodo illam ad hasce actiones adferamus: Si enim hæ actiones voluntatem DEI habent, indifferentes non sunt; danda igitur ipsis est voluntas Dei, aut potius ipsæ sunt voluntati Divinæ adjungendæ, atque accommodandæ, ut ex indifferentibus bonæ esse incipiant, atque hoc ipsum, quò fieri possit inquirimus.

Possimus verò actionum indifferentium tres veluti classes designare, ut quædam sint gratæ nobis, quasdam aversemur ut molestas, quasdam sus deque habeamus, seu fiant seu non fiant, seu oppositæ illæ fiant: Gratae actiones nobis, amicæque sensui & naturæ sunt, amana & ridentia spectare prata, sapidos degustare cibos, &c. Molestæ actiones sunt, ut flagellum sponte subire, abstinere à delicatis cibis, à congressu familiarium, Actiones nec gratæ nec ingratae sensui, ad quas non plus quàm ad oppositas afficimur, sunt: Inambulare, colloqui, foras prodire, aut domi considere, &c. Igitur offerentibus sese actionibus iis, quæ demulcent sensum, foventque naturam, inferioremvè portionem (de hac enim sermo hîc) eæ rejiciendæ erunt ab eo, qui voluntatem Divinam exequi cupit in his actionibus. Causa est: quia hæc est Volun-

Gal. tas Dei, ut hujuscemodi actibus abstineamus: scriptum est enim: *Desideria carnis vestra, ne perfeceritis, &c.* Et: *Si Spiritus factus est carnem mortificaveritis, vivetis; Et: Col. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Etsi in hoc habendam esse

ratio-

rationem discretionis non nego : habendam esse nimirum rationem complexionis, sanitatis, valetudinis, loci, temporis, ætatis, personæ, status; sed hæc ipsa ratio cauta, discretiæque debet esse in hac parte magis severa, quam blanda. Natura enim semper se ipsam quærit, & miris artibus, fictionibusque eblanditur à nobis, ut ei tantisper indulgeamus.

Proinde si quando incidit occasio actionum carni nostræ suavium & gratarum elicendarum, tunc hosce Canones censeo observandos. 63.

Primus. Si actionis, quæ carni grata est, nulla est causa alia, ob quam fieri debeat, quàm quia grata & commoda est naturæ, tunc est omninò rejicienda, & à tali actione abstinendum, juxta prædictam scripturam.

Secundus. Si præterea est alia causa, propter quam fieri debeat, puta, valetudo, & sanitas propria, charitas & hospitalitas in alios; evitatio vanæ gloriæ, ostentationis, censuræ aliorum, tum considerandum, an hæc, vel similes causæ; quæ suadent fieri tales actus, tantæ sint, ut meritò debeant præferri studio mortificationis à Deo in scripturâ præscripto. v. g. Videndum, an deceat Religiosum hominem, qui profitetur rigidam & austeram vitam, propter sanitatem, nihil aut modice affectam, tam suavibus delicatisque cibus se pascere aquod externos &c. Similiter an deceat hospitalitatis gratiâ religiosum silentium solvere. An charitatis fraternæ

fraternæ gratiâ sumptus faciendus sit, qui alioqui paupertati non congruit. Si enim vera causæ illæ, mortificationi sui præponderant notabiliter, cedere tunc mortificatio debet, & tunc non fiet actio sensui grata, quia illi grata, sed quia necessaria est: tuncque jam Voluntas DEI, stabit pro hac parte, ut fiat. Et valebit illud axioma,

Matt *Hac oportet facere, & illa non omittere. E-*
23. & untes, discite quid sit, Misericordiam volo,
9. & non Sacrificium. Quod si causæ faciendi, & non faciendi dictos casus, erunt pares, aut pænè pares, tunc.

Tertius. Canon est servandus ut secluso rationabili scandalo (cui meritò obviandum) mortificationi attendatur potius naturæ. Vel certe hic

Quartus. Ut quoniam ambigua res est, & res non gravis est, nihilque periculi post se trahens, indifferenter alterutra pars, libere, securâ conscientiâ, eligatur, & propter voluntatem Divinam exercendam, fiat: censeri enim rectè potest, utrinque rem gratam esse Deo, sive fiat, sive non fiat. Si autem res quidem ambigua sit, at magni momenti ut meritò deliberationem requirat, nec sinat indifferenter alterutram partem eligi, tunc.

Quintus. Canon serviet, ut consilio peritorum, & bonorum res dirimatur, aut per orationem lumen à DEO impetretur: *Act.* dicaturque *Domine; quid me vis facere?* In
9. quo casu non debet mens deliberantis adherere uni patri, sed utrique æque favere, &

tantum parata esse accedere, quo bonorum prudens consilium, aut lux divina censuerit accedendum v. g. Expediatne vivere in sæculo, retinere opes, quibus multis aliis, Ecclesiæ DEI, tibi que sis profuturus ad salutem: an relictis omnibus sequi Christum? etsi enim hoc ex naturâ suâ perfectius est, at aliquando hic & nunc, talibus & talibus personis, illud utiliùs, securiùs, consultiùs, puta cum tales sunt, ut religiosam perfectionem non sint assecuturi: in sæculo autem tantum boni videntur facturi aliis, sibi que, ut religiosæ ipsorum professioni sit exæquandum: hîc enim valet illud; Et Monachum nun facies, & Senatorem perdes. Atque hi Canones servandi sunt etiam in secundo genere actionum indifferentium: quando scilicet offerunt se exercendæ actiones carni ingrata; æqualiter enim de utrisque Scripturæ, & Spirituales viri solent decernere: quare non est me opus diutius in his immorari.

Quamobrem ad Tertium genus venio, cui 64
proprie indifferentium actionum nomen quadrat. Quando ergo occurrunt actiones nec bonæ nec malæ, nec gratae nec ingratae sensui & naturæ, & perinde erit sive fecerimus, sive neglexerimus, sive oppositum egerimus, tunc Canon supra ordine 4, locum habebit, ut scilicet indifferenter quamcunque partem eligamus, dummodo illi Voluntatem Divinam applicemus: hoc

hoc vel simili modo, mente vel ore etiam dicendo. *Domine faciam hoc, surgam ex hoc loco propter tuam Voluntatem. Sedebo hic adhuc, quia tua Voluntas est, &c.* Per talemque Voluntatis Divinae applicationem à me factam, ex indifferenti alias actione, fiet bona, Deoque grata, & mihi meritoria: perinde ac quando rem expresse à Deo imperatam facio, vel prohibitam non facio quia à Deo prohibita est. Cujus rationem superiori capite attuli, quia actiones nostrae à fine accipiunt rationem boni vel mali, ita ut tales sint, qualis finis propter quem fiunt: si verè bonus finis est, actio vere bona est; si finis ficte putativeque bonus, re ipsa autem malus est, actio etiam re ipsa mala. Quia verò in illa actione: *Surgam hinc, quia tua est Voluntas Domine*, finis bonus est, scilicet Dei Voluntas ejusque executio, ideo & ipsa resurrectio optima est.

Et hoc est illud quod tantopere Sancti viri & facere ipsi curant, & alios facere docent, dum quantum fieri potest, in omni actione parvâ, magnâ, impetratâ, non imperatâ, naturali, supernaturali, spirituali, corporali, internâ, externâ, ex se naturâque sua bona, ex se naturâque suâ indifferente volunt rectam haberi, & puram intentionem ab Agente, volunt in omnibus Deum quærere, volunt omnia fieri propter Deum, in præsentiam Dei, propter gloriam Dei. Hinc

Col. 3.
1 Cor. 10.
est illud Apostoli: *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, Et: Sive comeditis*

ditis : sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et ipse Christus ; Sic luceat lux vestra coram omnibus hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum. Et : Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit, lucerna corporis tui, oculus tuus. Cum omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus. 5. 6. 17.

Ex quibus Sacræ Scripturæ locis potest etiam ratio confici, quæ evincat tales indifferentes actiones hac Voluntatis Divinæ applicatione, bonas, sanctas, Deo gratas, nobis meritorias ad salutem fieri, atque ex indifferentibus Voluntatem Divinam reddi, non quidem imperantem aut prohibentem eas fieri, sed approbantem eas fieri, posse fieri, bene fieri. Certum siquidem & indubitatum est, eas actiones esse Dei voluntatem, sive à Deo approbari imo Deum velle eas fieri, quæ fiunt eo modo, quo Deus jubet omnes nostras actiones à nobis fieri : at quando actus indifferentes facimus ad honorem Dei, ad Divinæ voluntatis executionem, facimus eos eo modo, quo Deus vult fieri omnes actus à nobis, ut supra ex communi doctrina Patrum, ex Apostolo, & verbis Christi ostendi. Ergo actus indifferentes facti ad Dei honorem, & Divinæ voluntatis executionem, sunt vere Voluntas DEI, approbantur à DEO, Deus vult eos fieri.

Quod ipsum longè fortius etiam evincit ratio petita ex Dei ad singulas nostras actiones concursu. Certum enim est, nos sine Deo nihil planè facere ; quando ergo Deus

nobiscum operatur actus indifferentes, (& eadem ratio aliorum omnium) facit illos ad gloriam suam & ad Voluntatis suæ executionem, quod si ita est, ut omnino est, ergo licitum est homini actus, indifferentes agenti, Deum secum concurrentem, in hac intentione gloriæ & Voluntatis Divinæ exercendæ imitari. Ergo consequenter homo sic operans, rectè operatur, & voluntatem Dei operatur, & denique Voluntatis Divinæ operationem suâ operatione imitatur. Sed in hac re comprobanda, non est operæ pretium immorari. Puto enim forè neminem, qui de hac re tam certam, & in spiritualibus doctrinis tritâ, dubitet. Et ut verum fatear, hocque caput simul concludam, non tam nobis esset in hoc laborandum, ut subtiliter; sitne? qualis sit? quomodo appellanda sit Voluntas Dei in hoc vel illo actu? quàm potius ut sit simpliciter: ut fiat à nobis exactè. Hic enim est cardo vitæ perfectæ & sanctæ. Facere hoc quod Deus jubet, & eo modo per omnia, quoad omnes circumstantias loci, temporis, modi, intensiōis, &c. quo Deus vult vel facere: vel brevius utrumque complectendo. Facere voluntatem Dei semper, sincere, solam, perfectè; Sed hæc in sequenti capite persequemur; nunc reliquam partem præsentis doctrinæ perficiamus.

66. Restat enim nonnulla de actionibus indifferentibus præsertim naturæ & sensui gratis (quas supra primi generis diximus) questio. Sunt enim pleræque actiones, sensui & naturæ inferiori gratæ, ita necessariae,

ut

(& ad
io-
li-
ti,
one
ni-
ns,
ur,
em
m-
ari,
am
du-
out
ioc
it?
ioc
r:
do
od
ad
di,
e:
re
r-
ri;
r-
a-
a-
-
&
,
t

ut sine illis durare non possit; fit etiam aliquando, ut homo in talibus circumstantiis, loci, temporis, personarum, &c. inveniatur, in quibus illi integrum omninò non sit, à talibus actibus, de quibus loquimur abstinere. Declaro exemplo. Dormire, cantus & harmonias in templis audire, apparatusque elegantes spectare, &c. sunt naturæ grata ita, ut etiam necessaria, saltem pro aliquo tempore, certisque circumstantiis. Quid igitur in proposito quoad mortificationem (quam semper propositam nobis esse debere supra dixi, & ex Scripturis docui) faciendum? quomodo impediendum, ut cibum suavem comedam, nec suavitatem sensui gratam sentiam? &c. Quam ad rem advertendum est (quod etiam cap. præc. dixi) quod aliud sit sentire aliquam in actionibus quibusdamque rebus suavitatem, & naturæ commoditatem, aliud verò eandem cupere, quærere, intendere, in eam consentire, illius præsentiam oblectari. Illud prius malum non est, neque impediendum; est enim rerum, & actionum naturis iditum, v. g. melli dulcedo, flosculis odor, coloribus voluptas, &c. at illud posterius malum esse, vitandumque & dixi, & dico, in eoque mortificationis præceptæ cardinem versari assero. Comedendus ergo cibus est, audiendi cantus, odorandi flores, vel vapores odoriferi, sed non propter suavitatem, non propter voluptatem: pati ista, non impelli ad ista, nec intendere ista debemus: imò quantum fieri potest, ab his animus

(hoc est pars rationalis) avocandus, totus in Deum figendus, nullus voluptati illi quæ sentitur, locus dandus, nullo modo, inquam, amanda est illa delectatio, sed graviter etiam ferenda: & ob hoc solum, quia Deus illam in talibus rebus inesse immiscerique voluit, toleranda & subeunda. Quâ ratione servatâ, non tantum nullum erit mortificationis detrimentum, sed potius erit insignis ejus exercitatio. Non tantum voluntas Divina non negligetur, sed verò etiam egregie fiet. Dummodo seriò agatur res, & homo seipsum decipere non velit, & qui semel coâctim voluptatem senserit, passusque sit, sensim delinitus, non etiam illam appetat, & intendat, cumque Spiritu cæperit, carne tandem consummetur.

67. Ad quod maximè attendendum illis, qui aliquando res sensui gratas, actusque naturæ jucundos exercent, proferentes se id facere, ut ex his sensualibus ad spiritualia habeant occasionem: non minus enim ex melle, quam ex absynthio laudari potest DEUS degustato. His, inquam, id prædictam doctrinam attendendum est, & certò sciendum tales Spiritualitates technas esse diaboli ex Angelo Satanæ in Angelum lucis se transformante. Quantæ enim & quàm piæ Sanctæque conversationes transierunt in carnales affectiones, licet & ille & illa Spirituallissimæ personæ viderentur, imò & essent. Non potest talis intentio esse purè ad solam DEI voluntatem conversa: sed necessario sensualitatis amorem habet intermi-
sum:

stum : & quidquid prætendat Voluntas propria , omninò seipsam cuniculis quærit , & intendit. Vere enim fit id quod sensus amat : vitatur id quod sensus horret , & quidem deliberate & ex animo : & quis credere potest Voluntatem Divinam solam tibi cordi esse , cùm deliberato animo , & ex proposito sensualitatem quærās : contra illud quod dixit Deus : *Desideria carnis ne perfeceritis.*

68.

Breviter ergo habendum est , & sentiendum in re propositâ. Sensualitas nullo unquam prætextu quærenda est ; si se ingerit tanquam necessariò connexa iis actibus à quibus nullatenus abstinere possumus , toleranda est non acceptanda , repudianda non amplectenda : aversione & avocatione , mentis ad alia impedienda est , non animo intendenda. Quod si impediri repudiarique non potest , necessitas in virtutem commutetur , voluptasque illa , quam Deus rebus & actibus inferuit , tanquam DEI voluntas , non tanquam sensûs voluptas est amplectenda : tunc enim patietur , non aget rationalis pars , non volet sed perferet sensualitates , affectionesque inferiores naturæ , quas illa non tenetur tollere , sed minuere tantùm , sed tantum iis non consentire , sed tantum iis superior esse , juxta ea quæ postremò dixi capite præcedenti. Quæ autem de rebus sensui gratis admittendis dixi , de omittendis sensui ingratis tenenda sunt.

CAPUT XIII.

*Intentionis Divinae Voluntatis
substantia, proprietates, modi
practici, quibus ea reddi fami-
liaris possit, explicantur.*

69. OMnia fermè, quæ de hac voluntatis Divinae perpetuâ intentione executioneque magis necessaria scitu judicabam documenta, exposui : Superest mihi, ut ipsam hujus Intentionis Executionisque praxim, proprietates seu conditiones, modos denique, quibus familiaris nobis reddi possit, institutâ brevitate persequar.

Quod ad primum attinet. Sciendum, dupliciter posse nos in omnibus nostris actionibus Voluntatem Dei intendere atque exercere. *Primo*, Quidem universaliter omnia & singula opera nostra vitæ, vel diei totius ad Divinae voluntatis per ea executionem applicando, hac vel simili praxi. *Domine Deus meus qui sanctam voluntatem tuam, & semper ipse facis, & semper à nobis fieri vis, volo & statuo tota hac die in omnibus actibus meis quibuscunque, corde, ore, opere exercendis, quam adorandam voluntatem spectare & exercere. Secundo*, Specialiter & in particulari, omnia vel aliqua nostra opera cujuscunque facultatis & potentia, ad ejusdem Voluntatis Divinae executionem applicando. Hac vel simili ratione. *Domine DEUS meus, in cujus Voluntate vita est,*
 & CH-

Et *cujus voluntati nemo resistere potest nemo debet, volo hoc opus N. (puta Orationem hanc, laborem hunc, Sacrum hoc, refectionem, deambulationem &c.) facere, ut tuam Sacratissimam voluntatem exequar. vel brevius. Domine volo facere hoc, quia hæc est voluntas tua. Quod si placeret expressè omnes alias intentiones quascunque excludere, posset ad dictos modos addi vox aliqua exclusiva. v.g. Domine, hoc facio, ut sola fiat Voluntas tua. Propter tuam solam voluntatem; tantum quia hæc est voluntas tua, &c.*

Inter hosce duos modos hoc interest, 70.
quòd etsi ambo sunt boni, & divinæ majestati nostra opera faciunt grata, præstet tamen posterior priori, quia frequentius fit, & major in eo Divinæ voluntatis æstimatio, majusque studium elucescit: præsentius etiam est contra retractationem per adversarium propositum remedium, ut omittam, quod generalis illa habitu tantum, aut ad summum virtute ad omnes se extendat actiones; hæc actu illas afficiat. Quare etsi utroque illo modo uti licebit, ita tamen, ut generalis intentio justis quibusdam diei partibus, particularis verò frequenter, & quoad fieri potest, frequentissimè, certè ad notabiliores quasque actiones accommoderetur, usurpeturque. Poterit, inquam, Generalis intentio, Mane, Meridie, Vesperi, exercitari, particularis veris verò frequentius, pro cujuslibet vitæ, occupationumque serie: ut dum lecto surgit, dum ad orandum accedit, dum Sacrum auditurus, facturusvè est.

est, dum officium divinum, aut quamlibet partem recitare aggreditur; dum se ad studendum, legendum, scribendum accingit; dum foras prodit &c. dum aliquid incommodi vel ingrati subiturus est, dum denique quidlibet parvum aut magnum acturus, passurusvé est. Atque hæc de intentionis Executionisve Divinæ voluntatis praxi quasi Substantiali, satis est dixisse.

71.

Ad proprietates Intentionis Executionisque istius accedo, ex quibus etiam ipsis Substantia melius elucescet. Et quantum quidem ad proprietates intentionis hujus attinet, eæ duplices sunt; quædam illi cum omni bonarum & laudabilium intentionum genere communes, quædam isti soli propriæ. Communes sunt cum aliis, ut quòd Intentio debeat esse Bona, Prudens, Prompta. Propria ejus una solum est, ut, quòd debeat esse Simplex seu Sola. Omnes autem istæ proprietates, unice possunt & solent nomine à Spiritualibus Magistris comprehendendi videlicet, ut sit intentio pura. Pura; nihil habens admisti mali seu peccati; nullus sit error quoad circumstantias, non sit rara & diu dilata, non sit tarda, aut frigida, & quasi extorta fluctuansque; postremo nulli alteri permittat aut adjuncta. Utile tamen existimo futurum, de singulis hisce proprietatibus aliquid dicere, quanquam de prioribus earum, ita jam supra dictum est, ut hoc solum de iis opus sit dicere, me jam dixisse. *Bonam* enim hanc Intentionem esse ita jam docui, ut etiam optimam, perfectissimamque esse evicerim. Deinde
quid

quid factum opus sit, ut prudens sit, quæ vitanda, quæ adhibenda regula, id quoque jam supra satis exposui: quando de bonis seu imperatis, de prohibitis, de indifferentibus actionibus, quomodo in iis Voluntas Dei investiganda esset, tractavi:

Frequentem esse volo hanc Intentionem exercendæ Divinæ voluntatis, ut extrema duo devitentur, quorum unum enim raritas ex negligentia aut oblivione nasci solita. *Rara* est intentio, si quis semel, bis, terve intentionem hanc in diem renovasse, & uniuersis, duabus, tribusve actionibus eam applicasse sit contentus. Alterum extremum est *Perpetuitas*, aut potius perpetuò illam continuandi, & singulis quibusvis actiunculis illam applicandi cura. Nam hoc impossibile est reipsâ fieri, & cum periculo sanitatis fieret. Non ergo quoties oculum digitumve moves, toties intentionem hanc renova: sed quoties novum, & à priore distinctum opus aggredieris toties te illud Voluntatis Divinæ causâ aggredi, corde & ore, vel solo corde, profiteri: v. g. lecturus es, legere te velle, quia DEUS vult, dicito: à lectione ad Scriptionem te transfer; scribere te velle, quia est voluntas DEI, cogita; & sic de aliis. Non ad singula commata, lecta; vel scripta id protestare, quia & inutile, & nocivum, & impossibile. Imò etiam addo, si ab opere ad opus transiens à legendo, ad scribendum te transferes, à Deo distractus non es, nec primam intentionem è memoriâ dimisisti, nihil attinet, te intentionem

tionem renovare, sed sufficit, in priore perseverare, Deoque inhærere: quod maximè locum habet in operibus vel per se ad Deum spectantibus, ad Deumque trahentibus, uti sunt à Meditatione ad officium Divinum recitandum se transferre: vel adeò brevibus, ut prius conficiantur, quàm intentio è metentio moria excidat, vel quàm alia sequior intentio subrepat. Satis ergo frequens hæc intentio erit, si toties repetita fuerit, quoties novum opus à priore distinctum, & natura & justo tempore inchoandum erit: nisi forte tam longa prior actio sit, ut etiam ea durante intentio revocari, maximà si vana gloria, vel quid aliud obrepat, meritò debeat.

72.

Prompta esse intentio debet. Decet enim nos hilari animo & festino properare ad exequenda Dei Creatoris Dominique nostri placita. Quò quidem facile nos impellet magna de voluntate Dei æstimatio, debitaque de ejus exercendæ studio supra tradita, & probata opinio: impellet etiam firmum & avidum animi propositum, ubique Divinam voluntatem cognitam exequendi; impellet præterea, si in nullam aliam circumstantiam Voluntatis Divinæ, nisi in solam voluntatem, mentis obtutum figere; consuecat. Nam si voles examinare & attendere, per quem proponatur Voluntas DEI, quo tempore? quo loco? quo modo, multa habebis impedimenta promptitudinis, ut si aspere imperatur, si violenter prohibetur, si causa prohibendi non apparet,

aut parva apparet, si tempore tibi incommodo, quo tu alteri rei vacabas, quod destinâras alteri occupationi; si id quod jubetur vile est, & in oculis aliorum exercendum, si qui proponit, jubet, vetat, infra te est ætate, prudentiâ, statu, virtute, experienciâ hæc promptitudinem animi tollunt, si spectantur. Non ergo spectandum, quid, quando, per quem, quo loco, Deus vult, sed quia vult, & quia velle ejus amas, implereque vis, hoc attendendum, & omnia erunt dulcia, omnia commoda. Vel certe sic cogitandum: Voluntatem Dei ego exequi volo: at voluntas Dei est etiam in his circumstantiis: voluit enim Deus sic mihi imperari, per hunc, hoc tempore, hoc loco. Ergo etiam in his circumstantiis illam agnosco, exosculor, exequor. Uno verbo, *caca sit, & propta erit intentio.* Et sicut in obedientiâ, ut quis prompte obediat, duo sunt requisita *Primo.* Ut sciat credatque firmiter ac certò, esse imperatum nomine Dei. *Secundo.* Ut amet, tam imperiumquam rem imperatam. *Non enim ibi durâ necessitate servitur, ait S. Greg. & diligitur, quod jubetur.* Ita in hac Divinæ voluntatis executione (quæ revera obedientia quædam perpetua & suprema est) duo sunt pernecessaria. *Primò.* Ut tibi persuadeas certò esse Dei voluntatem. *Secundo.* Ut ames istam ipsam Dei voluntatem. His enim positis, fieri non potest, ut prompte ad Dei voluntatem exequendam non tendas. Maximum enim est amoris pondus; maxima eloquentia, & suadendi vis in amore,

Possum

S.
Leo
ser. 4.
de
jejun

73. Possum idipsum in fide cognoscere, ut quis aliquid fide credat, duo sunt requisita. 1. Ut iidem amet, sibi que necessariam esse persuadeat. 2. Ut id, de quo agitur, ad credendum propositum esse ab Ecclesiæ capite certe cognoscatur, aut putetur. Hinc fit ut cum homini bene catholico de aliquo articulo dicimus: Definitum est, de fide est: statim amplectatur, si definitum esse sibi persuaserit. Ita ergo & in proposito nostro evenit, evenireque debet: Si promptè ferri ad Dei voluntatem exequendam volumus, & voluntatem ipsam amemus, & illam huic operi in talibus circumstantiis adesse firmiter nobis persuadeamus, neque opus à voluntate separemus, sed unum quid ex his conflari, quod separari per nos nec possit, nec debeat, credamus. Non enim Deus abstractæ vult, sed concreta. Quare hæc in nobis resolutio esse debet: Et voluntatem Dei, & id quod vult Voluntas Dei, propter ipsam voluntatem volo facere; volo omittere, volo admittere; volo respuere. Stultissimum est dicere, Ego quidem voluntatem Dei istam amo, sed id, quod illa vult facere nolo: Sicut si quis dicat: Amo quidem ego imperium ipsum, sed rem imperatam non amo, nec faciam. Aut, Amo quidem comestionem, sed cibum non amo, nec admitto.

Promptitudinis igitur hujus de quâ agimus, hi fontes, hi Canones erunt. 1. Ama Dei voluntatem, & totum id quod Deus vult. 2. Fideliter crede hoc Deum velle, & propter hanc volitionem operi te accingere:

gere. 3. Nihil aliud in ullâ respecta, nisi an sit Dei voluntas, hanc si vides adesse, satis sit, de executione jam cogita. 4. Ne diu examina, ne hæsita, ne respecta scrupulosè, sitne voluntas Dei, si vel suspicio est, esse Dei voluntatem, jam illuc impetus eat voluntatis tuæ; ideo enim forte in illâ Orationis Dominicæ parte, *Fiat voluntas tua;* Mate 6. præpositum est *Fiat*, reliquis verbis, ut ostendatur tam avidos non esse debere Voluntatis Divinæ exequendæ, ut prius, si fieri possit eam fieri & perfici à nobis velimus quàm planè cognoscimus; vel ut inter illud ipsum tempus quo illi cognoscendæ vacamus, jam etiam in executione, & quasi factione illius occupemur. Et certè idcirco Deus vult, quidquid vult, ut fiat quod vult; finis ergo quem volendo Deus intendit est factio, atqui constat quod finis, qui postremus est in intentione, primus sit in executione. Quocirca prius penè à nobis fieri deberet, quod Deus vult, quàm cognoscamus perfectè illum velle. Quod exaggerare volui ideò, ut promptitudinem suaderem. Quare etiam ad promptitudinem pertinet, ut prius intentio statuatur Divinæ voluntatis, quàm opus ipsum inchodetur, fecisse enim intentionem, jam est inchodasse Divinæ voluntatis executionem: at inchodasse opus sine intentione, non est illud ex Voluntate DEI fecisse; quod enim sine intentione factum est, sine DEI voluntate, vel non propter DEI voluntatem factum est. Si tamen oblivio intentionis subrepat initio operis, quam-

primum in mentem venerit, statuenda erit.

74. Ad extremum Intentio debet esse *simplex* seu *sola*. Quo nomine volo illam nihil habere immixtum sibi, non solum malum, non absit, non solum indifferens, non solum privatum redolens commodum aut affectum, passionisque aut sensus palpamentum, sed ne bonum quidem alioqui, modo voluntate Dei inferius. Tam ergo simplex sit intentio hæc, ut sola simpliciter, nuda, directè, immediatè, Dei voluntas intendatur. Quod si quando aliquid immiscendum putabitur, huic subsit, huic serviat, non aliter intendatur, quàm ob Dei voluntatem. Unde hoc simplicis istius Intentionis nomine, etsi potissimum ad vivum & imum planè refectatur omnis affectuum inordinatio, omnis passionum immortificatio, omnis amoris proprii privatæque voluntatis cura, omnis humanorum judiciorum, respectuumque ratio; sed præterea etiam bona huc non admittuntur, si alioqui imperfecta sint, aliis, & præsertim voluntati Dei comparata: ita ut in hac intentione, vel locum non habeant, vel ejus materia sint, & illi subserviant cujus rationem dudum supra attuli, quia hæc sola Intentio Divinæ voluntatis, tam est perfecta, ut sola aliarum vicem implere, & perfectionem æquare sufficiat: hac autem unâ absente, nulla alia quantumvis optima videatur, sufficiens sit, & imperfectione careat: quidquid enim aliud intendas, si ad DEI voluntatem non retulisti, nihil boni egisti.

sti ; neglige alia omnia , solam voluntatem Dei præ te habe stantem , omnia possides in hac unâ.

Quocirca diligenter in hoc puncto (etsi 75: & in aliis prioribus) potissimum examinanda est intentio nostra ; & alterum ex his fervetur. 1. Ut vel sola Divina voluntas intendatur : hoc modo : Volo hoc facere propter solam & unam Dei voluntatem. 2. Vel si quid aliud præter illam intendere placet , intendatur propter illam , hoc modo : Volo hoc facere ut me mortificem , ut Christum imiter , ut ad honorem B. V. aliquid agam , quia est hæc Dei voluntas. Sive : Volo orare ad honorem B. V. quia hæc est Dei voluntas. 3. Vel si quid aliud intenditur , suppositâ Dei voluntate intendatur : hoc modo : Volo orare , ut impetrem remissionem peccatorum , interea subintelligendo id Deo placere. Extra hos tres modos si quis intentionis modus est , bonus non est : in his verò tribus , primus optimus est , secundus illi suppar ; infimus tertius est : Ea propter existimo , aut primum aut secundum in omni nostrâ actione tenendum esse , at præcipuè primum , alioqui difficile erit Intentionem amore proprio & omni impuritate , obliquitateque expedire , cùm tamen id facillimum in primo sit modo. Et denique absque dubio justius , rectius , securiusque Divina voluntas , (quæ est fons omnis justii , recti , perfecti) directè & immediatè intenditur , aliis mediatè , indirectè , implicitè , intentis ; quàm ut alia expressè , directè intendantur , DEI

verò voluntas tantum virtualiter, mediatè, respectivè, consequenter spectetur, non enim voluntas Dei ancillari aliis, sed omnia voluntati Divinæ debent. Atque ex his quæ jam dixi, non est difficile cuilibet investigare, varias rationes, quibus hanc Divinæ voluntatis exercendæ praxim, possit sibi familiarem, & perfacilem reddere: Suggestam nihilominus aliquas brevissimè.

Prima. Indiculum sibi conficere quotidianarum suarum, vel earum quas se habiturum quis quotidie prævidet, actionum, & proponere firmiter, quòd unicuique earum sis præmissurus Intentionem exequendæ DEI voluntatis: idque deinceps propositum exequi, adhibito etiam examine Speciali supra id: An scilicet unicuique actioni, quam in Indiculo habes, præmiseris Intentionem Divinæ voluntatis exequendæ, eò modo quo promiseras te præmissurum. Et hoc quidem propositum ter in die, Mane sub meridiem, sub vesperam; Examen verò sub meridiem, atque sub vesperam fieri poterit.

Secunda ratio. Habito hoc firmo animi decreto, quòd omne studium velim ad exercendam jugiter in meis actionibus voluntatem Divinam collocare: constituam mihi excitatoria certa signa, visu vel auditu percipienda, quibus commonebor hujus Intentionis, ita, ut quoties tale signum, videbo, vel audiam, toties me ad Divinam voluntatem reflectam: talia signa esse

esse possunt, certo modo certas res in cubiculo disponere, imagines affigere, &c. ut illius dispositionis objectu commonear, hanc à me factam Intentionem propter Dei voluntatem renovandam. Item tale signum esse posset, Campanulæ domesticæ, vel templi, vel horologii sonus, ita, ut statuamus, quoties signum hujus campanulæ audiero, toties Intentionem Divinæ voluntatis renovabo.

Tertia ratio. Applicare signum aliquod vesti, vel corporis alicui parti, sensum aliquem imprimens, ut manui &c. occultè, si cum aliis agendum sit; palam si soli, v. g. digito annulus imponendus, ut hujus signi sensus refricet memoriam exercendæ Divinæ voluntatis.

Quarta ratio. Constituire singulis diebus, vel diei partibus, vel horis certum numerum actuum, sive currentium in vitam meâ ordinariâ, ordineque communitatis præscripto, sive virtutum definitarum, quarum studio vel penuriâ magis urgear, eosque actus exercere tanto numero, aut proponere propter Divinæ voluntatis executionem v. g. *Volo hodie, hac diei parte, hac horâ, in hac occupatione, toties ad Deum mentem elevare, quia hac est Dei voluntas: toties actum amoris DEI & Christi elicere, quia hac est Dei voluntas: toties SS. Trinitatem adorare, me humiliare, hunc unum, vel hos sensus mortificare, quia hac est Dei voluntas. Volo toties actum humilitatis in honorem B. V. elicere, quia hac est Dei voluntas: Volo tot actus Intellectus, tot actus Voluntatis, tot actus*

memoria, tot aspectus oculorum, tot actus audiendi, tot actus gustandi &c. facere, vel etiam non facere, sed abnegare, propter Voluntatem Dei.

Quinta ratio. Acturus aliquid cogitantisper prius, quomodo Deus si id ipsum acturus esset, illud ageret? & ubi hoc dispexerit, propone consimiliter agere id quod es acturus: Sine dubio enim Deus te ita agere vult, quomodo ipse ageret, si hoc ipsum acturus esset. Quæ praxis ut intelligatur, & magni æstimetur, exerceaturque diligenter, interest fundamentum ejus altiùs explicare, pertinet enim hæc praxis ad exercitium Voluntatis Divinæ internæ.

76. Sciendum ergo, in Deo esse rerum omnium ideas, tam Substantiarum, quam accidentium, v. g. actionum humanarum; hæc ideæ in Deo sunt Deus, ita, ut homo, v. g. qui in mundo existit, longe perfectius esse habeat in Deo, quàm in se hic; & actio humana, v. g. Oratio, longe perfectius habet esse in Deo, quam in homine, à quo fit, in Deo enim sunt hæc sine imperfectionibus, sunt perfectissima, sunt Deus. Igitur perfectiùs ego, v. g. Oro in Deo, quàm in meipso: illa enim Oratio mea in Deo, est regula hujus orationis in me; ita perfecta, ut si Deus ipse in personâ mea orare vellet, juxta illam regulam se in orando dirigeret, illudque suum exemplar in se imitaretur. Et hoc est, quod in DEO vocatur Idea: illa scilicet ratio perfectissima, quam Deus
in

in se habet, & quam intuetur, quando aliquid agit, ad cuiusque normam tum ipse rem talem vel talem facit, tum ab aliis fieri vult. Hæ in DEO concipiuntur tot, quot res sunt vel de facto vel possibilis, etsi in DEO sit una tantum Idea, hoc est, ipse DEUS. In his Ideis plurimum sibi DEUS complacet, ut pote, in perfectissimis operibus, operumque exemplaribus, ac regulis, quibus merito omne opus conformari debeat. Unde vult nos illis conformari, estque illi gratissimum si tales simus, & ita agamus hic, quales sumus in ipso, & quomodo agimus in ipso. Et hic est ille gustus DEI, quem habet apud se ex rebus, tunc quando ita fiunt, vel non fiunt &c. Ad eum modum, quo artifex peritus, quando cogitat de aliquo opere quod fieri posset, vellet, aut videt, efformat sibi speciem exactam operis in animo, & in eâ sibi complacet, gustatque per anum proportionem & decorum illius formæ, simulque cupit illud opus ita prorsus fieri, prout ille speciem ejus habet, & si videt, omnino illud ita factum, gaudet, approbat; si non ita, non est contentus, improbat; quia scilicet non est tale, quale ipse in animo suo longe perfectius intuetur. Quare qui vult Dei voluntatem, in suis actibus exequi, totumque se ad gustum & placitum Dei in suis actionibus accommodare, facereque opera sua ita, ut ex illis gustum habeat, Deus respicere debet ad illas Ideas Divinas, quas habet Deus actionum illarum suarum, de-

betque conari, ut eas quàm similimas reddat illis Ideis, tunc enim fiet, ut Deus videns illas actiones suis ideis simillimas, approbet actiones, gustumque habeat talem, qualem habet exuis Ideis. Atque hoc est ad gustum DEI agere, hoc est æmulari ideas ejus, hoc est agere secundum voluntatem Dei internam.

77. Difficultas tantùm esse posset, quomodo quis scire possit, qualis sit idea in DEO hujus aut illius rei quæ agenda occurrit: Sed in hoc facile subsidium est à Fide & Scripturis à rationis lumine & conscientiâ, à Christi exemplis & Sanctorum, à doctrinis Spiritualium Magistrorum: demum quomodo alium doceres hoc vel illud agere cum virtute, eo modo ipse facito. Potissimum verò attendere oportet hinc inspirationes divinas, quæ animabus bonis nunquam deficiunt. Nam sicut Deus inspirat quid agere, ita idem ostendit, & quomodo agere debeas. In summâ ergo loquendo, hujus rationis & modi quinti hæc praxis erit: Volo orare, scribere dormire, &c. *Quia nunc DEO placet, ut orem, utq; ita orem, ut scribam, & ita scribam.* Vel: Volo ita orare, quomodo DEUS oraret, si oraret. Vel: Orare debeo, & DEO gratum ac suave est, si ita orem; volo ita orare, &c.

78. Plures hujuscemodi, aut etiam commodiores rationes unusquisque excogitare, sibi que præfigere, & ad usum deducere poterit, mihi satis est, digito intento fontem ostendisse,

disse ut ajunt, aut carbone lineamenta duxisse, suo quemque penicillo atque colore uti permittens: Ingeniosa enim charitas est, & inventiva; & sæpe fit, ut quod uni difficile est, alteri sit facillimum sæpè etiam fit, ut aliqui invenire non possint, at inventis addere feliciter sciant. Non obest dare uniuscujusque industriæ locum. Hæc ipsa quæ ego scripsi, meliùs aut scripserunt, aut scripsissent alii, imò hæc meliùs penetrarent alii, exercentque, quam ego, si ad eorum manus (sed non huic fini scribo, mihi privatim laboro) pervenirent. Cæterum ut ad rem, & finem regrediar, rationes à me præscriptæ tum demum efficaces erunt, quando diligenter exercebuntur; diligentiam verò acuent multa, de quibus cum toto hoc tractatu sparsim, tum potissimum c. 7. & hoc ipso cum de promptitudine Intentionis disputavi: sed nihil magis eam conservabit, quam examen frequens quotidianumque, pæna etiam inflicta, si negligentia subreperit, denique oratio ad Deum, ac potissimum illa ab ipso Deo in hunc finem instituta. *Fiat Adoranda, fiat Sanctissima Voluntas tua, à me, in me, de me, per me, &c.* Vult enim Deus, ut hoc petamus à Deo fieri, & in hoc ipso est exequenda Voluntas ejus, quia ille vult à se peti, ut fiat Voluntas ejus. Tantus est æstimator DEUS voluntatis suæ.

Sed ecce in altum provehor, nolo autem cum ad finem festinarim.

CAPUT. XIV:

Quibus mentis affectibus Divina Voluntas sit a nobis exercenda.

79. FErme hætenus solum Intellectum instruxi, quâ ratione se in hoc altissimo exercitio gerere, quomodo illud sibi familiare debeat reddere: instruendus etiam est affectus; sive voluntati sunt suggerendi affectus, quibus voluntatem DEI exercere & intendere quis possit.

Ac primum omnium, Amore vehementi & intenso, magnaque æstimatione rapi debet. Et quis non amet, non æstimet voluntatem Dei, quæ ipse Deus est, imò quâ solâ Deus nobis bonus est? Nullo enim alio attributo se nobis communicat, nisi voluntate, Nullò alio bene facit bene vult, nullo nos amat, curat, tuetur, nisi voluntate. Intellectu suo nos scit amare, creare, salvere, &c. Sed voluntate suâ creat, amat, salvat, beat: quis item non æstimet hoc exercendæ Dei voluntatis studium, quod Deus ac Christus, summi utique Magistri & rerum æstimatores fecerant, & faciunt. Liceat aliquid dicere: Fuisset in mundo æstimationo voluntatis Dei, Christus non venisset, peccatum non fuisset, infernus non fuisset; da illam & modo, extinxisti inferorum incendia.

80. *Secundo.* Reverentia Divinæ voluntatis decet nos duci ad exercitationem ejus.
Dignissima

Dignissima quippe est omni honore, omni culto, omni veneratione, quippe quæ sit Deus ipse, & per quam Deus quam maxime Majestatem suam prodit; quam Deus ipse in semetipso vel maximè veneratur (si modo in Deo est sui saltem reverentia, est certè æstimatio dignitatis, & procuratio tantum non ambitiosa, quia meritissima) adeò ut probet nihil, nisi quod è voluntate ejus factum: culpet nihil puniatque, nisi quod alienum ab ejus voluntate.

Tertio. Timori filiali & casto, dici nos 81.
oportet ad exequendum quod Deus vult. Non timeat filius Patris voluntatem transgredi, negligere, oblivisci? & quæ certior via excidendi à gratiâ, quam neglectorem invenire voluntatis Dei Times à Deo malum pænæ, time à te & fuge malum culpæ: culpa sola est recessisse à Dei voluntate.

Quarto. Humilitate, & proprie indigni- 82.
tatis, ineptitudinisque reputatione ad Dei voluntatem exequendam eundem est. Quidni enim se humiliet res vilissima, cernens se tantæ & tam puræ tam dignæ rei exequendæ, efficiendæque instrumentum assumi? Homo, actio humana instrumentum sit tam sanctæ, tam puræ, tam digne voluntatis? Magnum erat, & nimis magnum homini voluntatem Dei vel à longe intuendam ostendi, etiam ad efficiendum eam assumitur, etiam compellitur, & præmiis invitatur!

Quinto. Fiduciâ nos trahi ad id oportet ut voluntatem Dei faciamus: fiduciâ in- 83.
quam, primò facilitatis in exequendo Dei enim negotium est, quando ejus Volun-
tas

tas agitur, ego instrumentum sum, voluntas Dei materia est. Eadem voluntas artifex est: si vult benè fieri ab instrumento opus suum, adhibet industriam suam, & adhibebit sine dubio, modo non desim ego, non desim subtrahendo me, importunum aliquid de meo adferendo, quod ejus purissimæ Voluntati immisceri non possit, non deceat. Fiducia deinde tam propinqui auxilii, tam intimæ Divinæ mecum præsentia. Non est Deus, mecum præsens, cujus voluntatem in manu habeo? Voluntas certè ejus, præsentia ejus. Ergo dum facio ejus voluntatem, facio & præsentiam; & quid metuum, quo egeam, Deo præsentem? in manibus meis præsentia ejus, cum volo facio illam, & est amplius quod velim? Ita mihi præsens est, quomodo ego facio. Si Deus tibi daret potestatem, ut Deo posses præscribere decreta tuæ salutis, non esses certus de salute? non sperares saltem? Ecce voluntas ejus in manu, fac illam qualem vis. Ad hoc tibi proposita, imò & imposita est, ô homo, ut facias illam: facias, inquam, tibi salutarem, te sanctificantem, te justificantem, te roborantem, te exornantem, te cælis dignum redentem; quem inculcabis si perieris? quid amplius tibi facere DEUS debuit? En tibi dicit, Habes in manu tuâ voluntatem meam, qualem illam censes ex tuo usu, talem finge, talem forma. Voluntas mea est, ut salveris; hæc voluntas in manu tuâ est, ut eam facias; quidni facis? Volo ego pro te sententiam ferre; hanc voluntatem tibi do in manu

nus

operatur: & ita hoc ipsum non hominis, sed Dei est, in quo vera & genuina hominis expropriatio est. Nam nihil homo videt in opere suo suum, Non externum opus, quia hoc Dei est; non voluntatem operis, quia hæc etiam Dei est ideo enim opus fecit, quia illud Deus fieri voluit; non executionem ejus Divinæ voluntatis, quia etiam hæc Dei est, Deus enim hanc executionem voluit, quando opus fieri voluit. Non executionis modum & circumstantias, quia & has DEI voluntas præscripsit, & absorpsit. Non libertatem executionis, quia & hoc ipsum Deus voluit, & ideo executus est, quia Deus libere excerceri, fierique suam voluntatem voluit; præterquam, quod illam DEUS fecit, & homini dedit. Unde jam homo in opere suo, ut dicebam, nihil videt suum, sed omnia Dei, & ubique Deum, ne opus quidem sed solam Dei voluntatem, quæ tam opus, quàm omnes alias circumstantias ejus ita sibi vendicavit, ut quidquid sit in eo, totum sit voluntas Dei totum Dei.

Decimo. Atque ex hoc non possunt non surgere in homine exultationes mentis, quies animi, lempida quædam præsentis & vicini Dei contemplatio, exultatio ejusdem, amplexus & basia: dum se homo à sui servitio exemptum, totum Dei factum, instrumentum Dei redditum, in Deum absorptum, à Deo regi, Deo vivere, hoc est per Deum, & propter Deum, suos actus, Dei actus, se non in se sed in Deo durare, moveri, vivere, esse, agere, videt.

Hos

Hos scilicet omnes actus & affectus homo pro suo modulo, nunc hos, nunc illos sentire, & afferre deberet ad voluntatem Divinam, quando eam executurus est. Hos etiam haurire deberet ex eadem, quando eam executus est: hos denique quando in se & quanto in se plus minusvé experietur, tanto plus tantoque minus se in hoc exercitio beatissimo profecisse intelligere debet. Horum affectuum aliquorum saltem praxim attexere, mihi visum est, ad cuius normam alii affectus exerceri poterunt, cum voluntas Dei agnita intendenda erit in opere. Ergo ubi cognovi Voluntatem esse Dei, ut v. g. orem nunc, dicam corde vel etiam ore. *Est voluntas tua domine, ut ego non ore, amo istam Voluntatem tuam valde, & ideo orare jam volo. Est Voluntas tua Domine, ut ego nunc studio scientia mea occupem: Gaudeo hanc esse voluntatem tuam, eamq; exosculor, atq; jam exequor. Est voluntas tua Domine, ut cibum summam: O mi Deus etiamnè hoc tibi placuit velle à me fieri? facio purè quia tu ita, vis. Est voluntas tua Domine, ut ego scribam: tantinè sum ego tibi vermiculus, & minima portio creatura tua, ut dignum ducas tuam mihi Voluntatem ostendere & pro me illam perficere? Fiat Voluntas tua. Vel: Non sum dignus ut faciam Voluntatem tuam, quia tamen tu vis, fiat Domine à me, & per me.*

Hæc sufficiant. Et quia res hæc magni momenti est, adeò ut totius structuræ sit basis & cardo, Considerationem apponam, quâ hæc omnia, quæ hæctenus fufius dicta sunt, in unum contraham, fontesque

tum

tum præcedentis capitis præxiarum, tum hæc
expositorum affectum explicabo, quo in
promptu sit, mentem ad hujus exercitii salu-
berrimi usum identidem excitare, atque prædi-
ctorum memoriam refricare.

CAPUT. XV.

*Consideratio ad cognitionem, a-
morem, exercitationem Divina
Voluntatis mentem permovens,
& prædictorum summam ma-
gnâ parte comple-
ctens.*

87. **L**ongior hæc (ut patebit) erit Meditatio,
in quibusdam etiam punctis difficilior;
cogit enim sic rei necessitas, magnitudo, ob-
scuritas. Erit tamen fecunda & practica, ne-
que gustu privabit, abundat confictionibus
intellectus, profuturisque conclusionibus:
Meditantis erit, Voluntatem etiam ad id quod
probabit impellere, aut impelli a Deo flagita-
re. Ne longitudo fastidiosa sit, octo in dies
ferme distribui poterit Meditatio, idque hoc
ordine quo & scribetur.

1. De Voluntate Dei secundum se.

2. De Voluntate Dei quo ad Deum; non
quod ista re distinguantur, sed quia conside-
ratione nostrâ distinguuntur.

3. De Voluntate Dei quoad Christum
Dominum.

4. De Voluntate Dei quoad nos, seu quid
sit in nobis?

5. De

5. De Voluntate Dei, quid exigat à nobis ?

6. De Substantiâ Intentionis & Executionis Divinæ voluntatem, deque proprietatibus ejus Intentionis.

7. De excellentia, perfectione, effectis hujus exercitii.

8. De modis reddendi hoc studium familiare, deque affectibus, quibus hæc exercitatio peragenda sit. Priores quinque partes tradam fufius; in reliquis remittam me fermè ad jam supra dicta; ut quid enim repetam? Ad rem jam accedo.

CONSIDERA I. *Quid sit Voluntas DEI secundum se?*

I. DEI Voluntas in se, & secundum 88.
se spectata, est ipsemet omnino Deus: quidquid enim in Deo est, Deus est: consideratur & concipitur, ut aliquid allud à Deo; vel propter opera quæ facit extra Deum: vel propter expositiones sui modosque, quibus se explicat ad notitiam nostram, quos constat non esse Deum: vel propter similitudinem nostræ voluntatis, quæ aliud est ab animâ, & in quâ aliud est potentia, aliud actus; nos autem divina creatorem instar percipimus, cum tamen in Deo volendi vis sit, potentia non sit, vis autem semper actualis, semper in actu, eoque uno, nec à DEO distincto; se enim ipso DEUS vult, quidquid vult:

Ex quo ego *primò* magnam quandam, & miram mihi de hujus voluntatis naturâ opinionem formabo : ut quæ imperceptibilis incomprehensibilisque sit, planè sicut & ipse Deus, cum quo illa unum est. 2. Conabor etiam corrigere usum meum cogitandi de voluntate Dei, & eam non ut quid diversum à Deo, sed ut Deum ipsum concipere contendam. 3. Denique Orabo hanc ipsam Sanctissimam Voluntatem Dei, ut ipsa cogitationes meas de se corrigat, meque dignè de se cogitare faciat.

89. II. Quemadmodum velle, est actus appetitus rationalis in bonum tendentis. Ita voluntas Dei nil est aliud, quàm actus appetitus Divini, ex summâ ratione, Sapientiâque procedens, in bonumque tendens. Bona enim volumus, & malum ut tale, nemo vult : Sed objectum voluntatis est bonum tantum : quia ergo Deus quidquid vult seipso vult, sequitur quod Deus seipso in Deum tendat, & ipse sit appetitus boni, sitque ejus naturâ bonum appetere, & denique quod sit actus bonum appetens. Cùm verò talis sit actus, quale ejus objectum, talisque sit appetitus, quale id quod appetit : sequitur etiam Deum bonum esse actum, bonumque appetitum, siquidem bonum appetit, quod si appetat summum bonum, sequitur etiam esse ipsum summum bonum.

Ex his autem discam, quanta & quàm bona res sit Bonum appetere, per hoc enim redditur bonus appetens : Certe hoc tanti facit Deus, ut per seipsum, seu seipso bonum appetat

& appetat, & velit, ipseque sit *Voluntas boni*.
Hinc proponam avertere mentem meam vo-
luntatemque semper à malo, bono autem
illam applicare. Hinc etiam discam, Vo-
luntatem Dei bonam esse, siquidem bonum
appetit; & vult; & quidem tam bonum ef-
se, quàm bonum est id quod appetit. Hoc
autem quale sit, jam videbo.

III. Deus non tantùm vult bonum, nec 90.
tantùm vult illud semetipso, ita ut suum
velle sit ille ipse; sed etiam vult summum
bonum, quo scilicet, nullum honestius, sin-
cerius, majus, perfectius; hoc est, vult se-
metipsum? Nullum enim aliud summum bo-
num est, præter ipsum Deum, & nullo alio
potest gaudere, aut agere, aut egere, nisi
summo, cum sit summus, & in appetendo
Sapientissimus; non sapienter autem appe-
teret, si minus bonum, quàm ipse sit, appe-
teret; quin minore bono, quàm ipse sit
habito, nunquam appetitum suum expleret;
quippe majoris boni capax esset, & non ha-
beret, ideòque miser esset. Pro quo, No-
ta; quòd si Deus nonnisi summum bonum
vult, sequitur, quòd quando vult, ut ego
silentium v. g. servem, aliudve quid simile,
in oculis meis vile & leve faciam, tunc etiam
Deus summum bonum velit. Nunquid ergo
servari silentium à me, summum Dei bonum
est? Est omninò ex parte motivi Divini.
Deus enim omnia quæ vult, propter se vult,
& non tam alia, quàm seipsum in aliis attendit
& vult: proinde quando meum silentium vult,
G 2 seipsum

seipsum in meo silentio vult, ipse autem sibi summum bonum est. Vide ergo ô anima, quantum bonum silentium tuum est, quod Deus à te vult: summum bonum Dei in eo est: & ergo tam impius in Deum, ut illi denegem? ô quo affectu, quâ curâ, quâ diligentia, hæc minuta quamvis facienda essent, si oculi quibus hæc videantur, essent!

Atque ita hinc colligam. **1.** Hæc omnia unum & idem esse in præsentia, Deum qui vult, voluntatem quâ vult. Bonum quod vult; hæcque omnia summa & perfectissima esse. **2.** Colligam quòd quando Deus vult summum bonum, vult seipsum, & suam voluntatem. **3.** Colligam. Quod quando Dei voluntas vult summum bonum, vult ipsam Deum, & vult semetipsam. Et consequenter. Colligam **4.** Voluntatem Dei multis de causis dici Dei voluntatem. **1.** Quia in Deo est. **2.** Quia Deus est. **3.** Quia Deus per illam vult, quidquid vult. **4.** Quia Deus per illam non aliud sed seipsum vult. **5.** Quia Deus per illam vult & habet illam ipsam, ideòque ejus est, quia illam vult, & habet illam, per ipsam voluntatem: Voluntas enim Dei est sui ipsius volitio. **6.** Denique Colligam Voluntatem Dei esse summum bonum: Est enim Deus qui est summum bonum: quàm ego beatus, si voluntate Dei potiar? quantore illam æstimare, amare, appetere, quærere, ambire, venerari debeo? quantum meum bonum hanc voluntatem nosse, gustare, exequi!

IV. Deus nunquam sine suâ voluntate 95.
est. Etenim vita in voluntate ejus, semper-
que vult aliquid, quia semper est quod ve-
lit, nempe ille ipse; neque vult alteri nisi
sibi, & ita vult semper, semetipsum sibi;
neque verò otiosè, & steriliter vult, sed
efficaciter; quare sicut perpetuo se sibi vult,
perpetuò se sibi dat, & cum sit summum bo-
num, summum bonum sibi dat; semper er-
go gaudet, potitur, fruitur summo bono,
estque semper beatus; & cum hoc à volun-
tate habeat, summi æstimat hanc suam vo-
luntatem, semper illam implet, & per il-
lam seipso tanquam summo bono fruitur.
Fruitio enim & gaudium est actus voluntatis
circa bonum præsens; atque ita Deus suâ
voluntate vult sibi, summum bonum, con-
fert, fruitur,

Ex quo Colligam immensam quandam
hujus voluntatis bonitatem. 1. Quia cum
amet, & velit summum bonum, summè bo-
na ipsa est; talis enim actus est, quale ob-
jectum ejus. 2. Quia Deo est, causa &
origo summi boni per illam enim Deus dat
sibi summum bonum, cum, ut dixi effica-
citer illud sibi velit, & Dei velle sit posse,
sit facere. 3. Quia facit DEUM bea-
tum. 4. Quia est ipsa fruitio summi
boni, atque beatitudo Dei. Ultra inde col-
ligam, quantum sit bonum, hanc Dei vo-
luntatem efficaciter exequi; ecce enim,
quia DEUS illam exequitur, summum bo-
num habet, & beatitudinem: Si ergo
etiam ego illam exequerem beatus summo

bono essem. Quocirca illam exequi semper efficaciter proponam.

96. V. Deus est actus purus. Semper ergo agit. Actus enim est id, quo aliquid fit, seu, quo aliquid actu est. Semper ergo Deus voluntatem suam (etsi semper existentem) agit. Estque in Deo actus voluntatis semper. Semper ergo Deus vult, & quia nil aliud vult, quàm bonum, id est, seipsum, quem tamen semper habet: ideo Deus semper habet bonum, quod vult, & tamen semper vult id quod habet; ex eo, quia semper bonum quod vult, habet, beatus est: quia verò semper vult quod habet, summum esse bonum quod vult, ostendit, ut pote, quod nunquam fastidiatur, quod nunquam satis appeti possit, circa quod recte voluntas semper occupetur, & quod summæ Voluntatis capacitatem, sufficienter semper adæquatè occupet: tale denique quo ille contentus sit, & quod habere semper velit.

Ex quo ego Colligam. 1. Quod si Deus semper suam agit voluntatem, & ego nunquam debeam à Divinâ voluntate agendâ cessare, præsertim cum Deus illam agat semper perfectissimè, ego autem cum tot imperfectionibus, ut meritò debeam semper in eâ perficiendâ occupari. 2. Quod si Deus habet hoc totum quod vult: ego quoque si DEI voluntatem fecero, totum habebō, quod voluero. 3. Denique colligam, quòd si Deus hoc vult, quod jam habet, cupiam & ego nunquam Dei voluntate fatigari, sed semper illam cupiam facere; nec mihi molestum.

molestum, leve, turpe, parvum erit facere, quibus Deus non eget, sed satis erit mihi Dei voluntatem, ut ea sint, fecisse: sicut Deus etsi habet quod vult, vult tamen quod habet, quia illum delectat velle: ita ego etsi scio nil prodesse Deo opera mea, volo tamen illa facere, tantum quia illa vult Deus, & quia hoc illi placet.

VI. Deus quidquid est in Creaturis perfectionis, totum habet in se modo perfectissimo, seclusis imperfectionibus; unde etiam hoc, quod in Creaturis Voluntas est & velle, habet Deus in se modo perfectissimo. Volitio creata, seu actus volendi, est actualis appetitio, tendentia, propensio in bonum. In DEO ergo, vel potius Deus ipse, est etiam vis & actus tendens in bonum, illudque appetens, & hic dicitur Dei voluntas. Quare eatenus Deus dicitur Voluntas Dei, quatenus scilicet est actus tendens in bonum, & appetens illud. Hic actus vel hæc tendentia in bonum, quatenus se in se continet, & quamdiu intra se est, vocatur Essentialis Dei voluntas; estque necessarius actus; necessariò enim Deus tendit in bonum, cum & tendentia ista sit Deus, & bonum illud non sit aliud, quam Deus. Hæc ipsa tendentia in bonum quatenus incipit se derivare & manifestare ad extra in Creaturis, vel eas creando & condendo, vel cum ipsis operando easque in suis operationibus, ut & ipsæ quoque rectè in bonum tendant dirigendo, est vocaturque Dei voluntas ad extra; & est actus liber, non

enim necessariò erumpit foras modis prædictis: Sed liberè, & quia ita placet illi: Et condendo quidem creaturas prodit se illo dictamine practico, cui vel ipsum Nihil obedit, *Fiat*. Operando autem vel cooperando, & còoperationes dirigendo creatas, prodit se illo dictamine etiam practico, cui omnis creatura existens obedire tenetur, irrationalis quidem necessario, rationalis liberè, scilicet. *Hoc fac*.

98. Et loquendo de Creaturis rationabilibus, istud dictamen practicum, operationes dirigens dupliciter Deus ad extra prodit. 1. Intus purè. Homini v. g. ad cor solus soli loquendo, Voluntatemque suam ostendendo, & quid boni appetat declarando, idque tam clare, ut homo nullo modo dubitet Deum esse qui sibi loquatur, Voluntatemque suam declaret; quippe qui intus experiatur & gustet, & videat, non alium præter Deum esse, qui hoc velit, & se hoc velle, sibi ostendat. Atque hoc fit vel intellectum hominis illustrando, & dicitur Inspiratio, Illuminatio: vel voluntatem creatam pelliciendo, gustumque ejus quod Deus velit (imò & aliquando illum ipsum quem Deus dere volitâ habet) propinando, & est Motio. Quoquo autem modo fiat, sive per lumen, sive per gustum (ordinarie fit per utrumque) exinde Voluntas Dei Interna dicitur; intus enim se & quasi clam, & furtim absque arbitris insinuat: ita ut possit homo dicere, se venas susurri ejus audiisse aure suâ.

2. Prodit Deus voluntatem suam in il- 99.
lo dictamine (*Hoc fac*) foris per signa aliqua
externa, ut per vocalia imperia, per leges
scriptas, a seipso, vel per Superiores, quos-
cunque legitimos, legitime latis, per con-
suetudines, per rationis lumen, per cursum
naturæ. Et hæc dicitur Voluntas Dei ex-
terna. Quia scilicet per externa signa se de-
clarat, multis nota, communia. Primæ vo-
luntatis finis est, Deus nudè, ejus enim
est Deo bene velle, Deum beare, Deum
velle, Deum esse. Secundæ & Tertix Vo-
luntatis est etiam finis Deus ultimate, sed
non nudè, verùm per medias creaturas, ad
quas Deus à se prodit propter se, & iterum
ab illis redit ad se, illas deducendo ad se,
sed tamen diverso modo. Nam secundâ vo-
luntate prodit suaviter, occultè, sine signis
& strepitu, suum gustum de rebus dans crea-
turæ, & sic eam sui suavitate, & perfectio-
ne delinit, perficit, à creaturis aliis abstra-
hit, in se rapit. Et tertiâ Voluntate, sen-
sibiliter manifeste agit, proditque se, osten-
dit legem, scripturam, usum, regulam, ra-
tionem, conscientiam appetit, opus exigit,
ut juxta hæc fiat, ne ab his aberretur.

Ex his porrò ego discam; tripliciter 100.
Deum Deique voluntatem attendere in meis
operibus, & in meipso. 1. Enim cona-
bor, ut omnia hæc quæ Deus fieri vult,
mandat, consulit, ostendit, faciam, propter
hoc solum, quia Deus vult, & hoc ex præ-
scripto Voluntatis externæ. 2. Conabor face-
re omnia quæ Deus vult, non tantùm quia

ita in legibus præcipit, sed magis quia hoc delectat Deum, quando ita fit, & quia Deus gustum habet in hoc quod ista fiant, ut ergo Deus gustum hunc habeat vel quia illum habet, vel ut illum gustum ego experiar, faciam, nec ultra quidquam intendam. 3. Nec attendam legem, nec gustum experiri cupiam, aut excitare, sed conabor omnia facere quia Deus est, abstrahendo ab hoc quid sit? ubi sit? sed hoc solum in operibus meis attendere volo (*Facio ut Deus sit, quia est.*) Brevius; Conformabo me, vel externæ quam mihi Deus præscribit, regulæ; vel interno de re gustu, & saporis, vel ipsi pure DEO, nihil admiscendo in quopiam gradu mei Incelli, commodi, spei,

101. Ex his etiam discam ita soli Divino bono inhærerere, & placito, ut tamen etiam externâ bona amen (sicut & voluntas Dei, ita est circa bona Dei, ut sit etiam circa nostra) sed non nisi juxta Dei solius solam nudamque voluntatem, & ita pro regulâ voluntatis meæ, omnisque operationis meæ assumam mihi Dei voluntatem, aliquo modo ex illis tribus spectatam, modo explicatis.

Ex his denique discam: Inspirationes & motus interiores procurare, observare, & exequi. Similiter discam, leges, regulas, consuetudines communes aut privatas cognoscere, amare, exequi diligentissime, etiam minutissimas. Siquidem eadem in re, & in Substantiâ voluntas Dei est quæ dicit: *Non occides: & quæ non otiose loqueris: ob-*jectum diversum, at voluntas DEI eadem.

S. Hiero-

S. Hieronymus in Epist. Jacobi ad vers. 10.
Quicumq; autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus: sic habet: Quare, non debemus aliqua precepta ejus, quasi vilia munuscula & parva contemnere, sed imperantis in omnibus majestatem aspicere. Nullam quippe mandatum DEI contemptibile nobis videri potest, si ejus semper cogitemus authorem.

Discam similiter, & ordinem universi: 102.

naturas rerum, earundem proprietates, omnes eventus, tanquam Dei voluntatem amabo, tanquam signa & expressiones divinæ voluntatis recognoscam & acceptabo; contentusque ero omnibus evenientibus, exequarque si quæ erant exequenda. Hinc non erit mihi molestum, quod pluvia, aut æstus sit, quod ignis urat, quod spinæ pungant, quod aqua frige-
faciat, quod ventus flet, quod nox diei succedat, quod moriatur quis aut infirmetur, quod persecutiones boni patiantur, quod hoc vel iste, vel ille faciat, quod mihi hoc vel illud accidat, non accidat, &c. Sed in his omnibus geram me illo modo, quo de se testatur David. Psal. 30, 10. *Obrantui, & non aperui os meum, quoniam tu (Domine DEUS. Tu ò adoranda Voluntas Dei mei hac omnia) fecisti, quoniam tu in istis tibi complaces, quoniam hac tibi sapiunt in hisq; tu delectaris sapientissime, & suavissime, & occultissime, & felicissime: & deniq; quoniam tu es, qui es, & hoc quod es. Gaudéo quod hac tua Sanctissima Voluntas, fiat supplic ut fiat hac tua Sanctissima Voluntas, sicut in celo, sicut in teipso, ita & in terra, & in nobis, & per nos.* CON-

CONSIDERA II. *Quid sit Vo-*
luntas Dei, & qualis quoad
DEUM.

103. I. Voluntas Dei est in Deo id, quo sibi Deus optimus est. Deus enim per hoc sibi optimus est, quia in nullâ re sibi deesse vult, neque deest, sed omnia bona sibi vult, omniaque sibi confert, omnia sibi conservat, omnia bona sibi est: hoc autem habet Deus à sua Voluntate, quâ tantum sibi boni vult DEUS, quantum boni esse potest, tantumque boni sibi dat, quantum capere potest in omni genere. Bona est Sapientia, dat illam cum summâ propensione, & alacritate atque gaudio Dei voluntas Deo, & dat tantam, quantam Deus capere potest. Bona est Bonitas, dat bonitatem cum summâ item alacritate & Voluptate Deo, tantam, quantæ Deus capax est. Bona est pulchritudo, suavitas, majestas, dignitas, gloria, misericordia, justitia, perfectionis omnis plenitudo, tantam dat voluntas Dei Deo, quantum capere Deus potest, &c. Ex his ego vel unum hoc colligam, nihil esse melius, quam cum hac Dei voluntate familiaritatem contrahere, per hanc enim fiet, ut omnibus illis divinis bonis tantum ditescam, quantum mea parvitas capere poterit.

104. II. Ut luculentius capiatur, quomodo hæc DEI voluntas habeat quoad DEUM, sciri debet, duas illam habere in DEO singulares

gulares prærogativas, atque functiones. *Pri-*
ma est, Quòd sit vinculum Dei, & vinculum
quidem omninò indissolubile, vinculum Deo
necessarium, & quod in Deo est necessariò,
etsi non sine summâ Dei voluptate; adeò ut
Deus illud nec effugere possit, nec solvere,
imò neque ejus solutionem velle (siquidem de-
beret velle per voluntatem, Voluntas autem,
non potest seipsam nolle, aliàs id quod vult,
nollet) Ligat autem Deum voluntas & vincit
in semetipso, ita ut per hoc vinculum Deus
sit sibi hoc quod est, videlicet DEUS, hic
DEUS, unus, idem. Quia enim illum
ineffabilis illa Communicabilitas & Com-
municatio videbatur quasi velle partiri à se-
metipso, & in plures personàs dividere ac
multiplicare, ne id fieret, voluntas perso-
nas quasi vinxit, & duo Supposita unum
fecit in natura; neque tamen duo Suppo-
sita sustulit, aut confudit, sed potius di-
stincta reliquit atque etiam seipsam ut quid
tertium adjecit, adjiciendo nexuit, & mul-
tiplicitatem Deorum impedivit; & ex tri-
bus unum in natura confluxit, triaque ni-
hilominus Supposita sed vincta, sed unita,
sed identificata in natura reliquit. Dum
enim se Pater Filio communicat, se quasi
à se separat, seque sibi opponit, sed volun-
tas illum sibimet apponit, quando se utri-
que communem inter serit, & utrumque
conjungit, ita ut illis duobus se velut quid
tertium addat, & duo Supposita, uniendo
tria faciat, omniaque tria supposita, unum
in natura reddat. Mira equidem, &
nec

nec investigabilis, nec comprehensibilis duorum in unitatem & identitatem, per tertium ab utroque distincti, additionem còagmentatio: quis enim capiat? ut ex duobus unum idemque facias tertium superaddere distinctum ab utroque, commune tamen utrique, & idem cum utroque, quod & illa duo, & se tertium faciat cum illis, & inter se unum ac idem. Verum est, in Creatis etiam, ut duo unum fiant, tertium super addi solere distinctum, at illa unitas non est propriè unitas; est enim aggregatio potius, non verò identificatio, at hinc ita sunt duo Supposita unum in natura per additum tertium, ut omnia & distincta maneant, & tamen sibimet identificata, sintque & tria, & unum: tria supposita unum in natura. Hoc est mirabile Divinæ voluntatis in Deo vinculum, in quo Pater & Filius communi sibi Spiritu sancto nectuntur, suntque unum & sunt unus: sunt tamen tria Supposita & tres. Unde autem hoc illi Voluntati? ne quære, Voluntas est: hoc satis est, & quis illi potest dicere, cur ita facis? Job. 9, 12.

Ex hoc ego colligam Divinæ voluntatis sicut ejus quæ ad intra est, ita & ejus quæ est ad extra proprium esse, omnia DEO unire, quæ digna Deo sunt, præsertim verò filium. Unde Conabor. 1. Filius Dei per gratiam Christi fieri. 2. Deinde hanc voluntatem Dei studebo semper magni æstimare & diligenter exequi; illique me unire, ut sic & illa me secum Deo uniat.

III. Ex hac primâ Prærogativâ Voluntatis 105.
 Divinæ confurgit altera, quòd scilicet sit
 Domina & Regina Dei, eùm enim ita, ut
 dixi, vinciat, & stringat, consequenter il-
 lum in suâ potestate habet, eique dominatur,
 ita ut nihil faciat Deus sine illâ, sed omnia
 per illam, & ad ejus nutum Deus verò illi
 in omnibus ad unguem (ut ita dicam) obedit.
 Quod tamen nec Deo indignum, nec Divinæ
 Voluntati indebitum est. Non quidem indi-
 gnum Deo, perinde sicut nec indignum eo est,
 ut sibi ipse imperet. Voluntas enim ejus, est
 ille ipse, & ita dum voluntati obedit, sibi
 obedit. Non etiam in debitum Voluntati,
 quia cùm sit Sanctissima, Rectissima, Perfe-
 ctissima, Supremâ agendi regula, imperan-
 dique ratio, debetur illi naturaliter, & omni
 jure, ut juxta eam quilibet se dirigat. Ne-
 que Deus habet in se alitèr, rectiusque agen-
 di principium, suâ ipsius Voluntate; ita ut si
 Deus suâ voluntate non regeretur, non super-
 sit illi quidquam aliud quo regatur, sed vel
 nil agere, otiarique, vel contra suam vo-
 luntatem, sineque illâ agere deberet: quo-
 rum illud puro actui repugnat, & hoc
 per se absurdum est. Voluntas ergo Dei do-
 minatur Deo, estque ejus Domina, Regina,
 Imperatrix.

Ex quo discam ego, æstimare hanc vo-
 luntatem Dei, meque illi nullatenus subicere
 gravabor, cui vel ipsum Deum obedire adver-
 tam; discam etiam quàm justum sit & me &
 omnia huic Sanctissimæ Dei voluntati sub-
 jici, à cujus subjectione Deus etiam seipsum
 non

non exemit. Discam præterea quàm in æstimabilis sit hominum, & mea inprimis malitia, atque nequitia, qui Divinæ huic voluntati nos subtrahere, resistere, illam infringere, eique omnibus modis repugnare audemus. Et quibus infernis expiari potest fatis? tanta Divinæ voluntatis à vilissimo vermiculo, à pulvere & cinere injuria?

106. IV. Sed juvat penitius hunc voluntatis Divinæ in Deum dominatum, deique erga illam, (ut sic loquar) reverentiam inspicere, ut tanto amplius & ejus dignitas, & humana patefcat malignitas. Tantum ergo hæc Voluntas in Deum potest, & tam DEUS illi exactè obedit, ut quidquid illa jusserit, digna, indigna, is ne jota quidem, nec apicem unum ex omnibus ejus jussis negligat. Communicabat se Deus plenissime, sufficientissimeque in seipso tribus personis suis, nec egebat amplius communicari; jussit Voluntas Divina, ut Deus se etiam aliis modis infinitis, communicaret rebus creatis, per esse Corporeum, per esse Spiritus, per esse vivens, sensitivum, rationale, intellectuale, substantiæ, accidentis, per esse Gratiæ, Gloriæ, Sacramentale, unionis hypostaticæ, cum tanta in singulis generum, specierum, individuorum, proprietatum, virtutum, accidentium, circumstantiarum varietate; fecit hæc omnia Deus, & usque nunc facit & faciet.

107. V. DEUS habuit imaginem sui adæquatissimam apud se in Filio suo, jussit tamen illam Voluntas DEI infinitas creaturas

ad

ad imaginem & similitudinem sui condere, iisque esse immortale conferre ; Fecit hoc Deus.

VI. DEUS maxima quæque attributa, & 108 perfectiones suas habebat apud se reconditas ; jussit Voluntas prodere illas gravissimus stupendis que operibus. Omnipotentiam, creando tanta, tam varia, tam pulchra, mira ex nihilo, propagando generationem, &c. Sapientiam, ista omnia ordinando. Bonitatem, tot virtutibus utilitatibusque ea implendo, & certis usibus deputando. Aeternitatem, æterna multa, incorruptibiliaque faciendo. Liberalitatem, omnia maximis perpetuisque beneficiis ornando, pleraque etiam sanctificando, salvando, beando. Misericordiam, ex miseris extremis ac præsentissimis ea liberando. Justitiam rigidissime illi satisfaciendo. Charitatem, tanta propter illam faciendo, patiando, instituendo.

VII. DEUS erat beatissimus atque felicissimus ineffabili beatitudine, quæ nec in cor hominis poterat ascendere, aut in ullius puræ creaturæ animum. Deum sua voluntas jussit Creaturas suæ illius beatitudinis capaces condere, ad istum eas finem ordinare media illum consequendi præscribere, auxilia semper parata uti volentibus præstare, non cogitantibus offerre, respuentibus obtrudere.

VIII. DEUS erat sibi sufficientissimus, 110. in gloriâ, in opibus, in vitâ, in naturâ, in esse, in virtutibus & perfectionibus, jussit eum tamen Voluntas mendicare à Creaturâ

suâ Gloriam, Opes, Cultum; quin & vitam, naturam, esse humanum; virtutes etiam, perfectionesque, paupertatis, castitatis, obedientiæ, patientiæ, humilitatis, mansuetudinis, modestiæ, abstinentiæ, abnegationis, mortificationis, Spei.

III. IX. DEUS habebat capacissimum in quo maneret Domicilium, scilicet, semetipsum; jussit eum tamen acceptare domos in mundo: jussit eum manere in omnibus rebus etiam vilissimis ac minimis, per essentiam, præsentiam, potentiam. Deinde in cœlis, deinde in cordibus rationalium creaturarum, per Fidem, per Gratiam, per corporalem Incarnationem ut in Maria, per Unionem hypostaticam in Christo, in Sacramento panis, in templis.

III. X. Habebat apud se DEUS multa decreta, & consilia secretissima, quæ tamen scitu & operatu erant tum dignissima, tum valde necessaria creaturæ: jussit illum hæc omnia creaturis evulgare, etiam tantò ante, non solùm per naturale lumen, per figuras, per prophetias, sed etiam per seipsum, non tantùm voce, sed opere & exemplo.

III. XI. DEUS habebat apud se thesauros pretiosissimos æquè ac delitiosissimos, scilicet Filium unigenitum, & Spiritum S. medullam bonitatis suæ; utrumque jussit dari hominibus, dare debuit, dedit.

III. XII. DEUS habuit magna apud creaturas debita, præsertim apud homines ut Amoris,

satisfactionis, justitiæ, adorationis, Sacrificii, Gratiarum actionis &c. Jussit voluntas hæc illum sibi pro hominibus. 1. præstare. 2. deinde etiam idipsum hominibus præstandi facultatem & potestatem dare, modumque docere. Factum est. Hinc DEUS sibi pro hominum peccatis ex summo rigore satisfecit, justitiam implevit, seipsum amore cultuque creato quantum creaturæ possibile fuit, amavit, coluit, adoravit. Sacrificium sibi Adoratorium, Gratiarum actorium, propitiatorium, impetratorium, ex seipso instituit, ejusque potestatem hominibus non solum offerendi, sed etiam conficiendi contulit. Misericordiam & gratiam hominibus, quin etiam jus ad exigendam gratiam ex jure justitiæ fidelitatisque in manus hominum in Sacramentis dedit.

Admirabor & obstupescam vehementissimè hanc Divinæ voluntatis in ipsum Deum imperiositatem & auctoritatem, Deique ad illam submissionem. Discam etiam, quod si DEUS in seipso tantum curat omni ex parte Voluntatis suæ nutus implere. Quanto magis zelabit, ut iidem à creaturis impleantur, & quam indigne feret, si non implebuntur. Gaudebo illam tantum in Deum posse, & tam sibi obsequentem Deum habere. Cupiam illam etiam mihi tantum dominari, & me illi tam plenè subjici. Agam immensas gratias, pro me, pro homini-

bus, pro omnibus creaturis, quod tantorum operum, tam nobis utilium Deo causa fuerit. Petam ab illâ, ut etiam mei dominatum acceptare velit, mihiq̄ue imperare. Submittam me illi & in æternum in omnibus secundum omnes circumstantias soli me illi servitutum proponam.

CONSIDERA III. *Quid & qualis sit Dei Voluntas quoad Christum Dominum?*

115. I. Christus Dominus DEUS & Homo Verbum æterni Patris, unigenitusque ejusdem Filius non aliam ob causam in mundum venit, naturamque humanam induit, quàm ob solius Divinæ Voluntatis placitum. Ubi enim decrevit SS. Trinitas, homines lapsos per Verbum erigere, & redimere, statim Verbum obtulit se ad exequendum hoc decretum, reque ipsa postea tempore designato, perfecit.

Ex quo perpendam, quantæ auctoritatis sit Dei voluntas apud SS. Trinitatis Personas omnes. Quod enim Verbum reipsâ fecit, hoc fecisset Pater, hoc & Spiritus Sanctus si ita decretum in illô arcano Trinitatis concilio fuisset: imò non minus fecit Pater dando Filium, quàm Filius dando seipsum, sicut etiam non minus fecit Spiritus Sanctus descendendo ad Ecclesiam die Pentecostes.

II. Humanitas Christi Domini, seu Christi-
stus Dominus ut homo, quia ex Voluntate
Dei deputabatur ad maxima munera, ut ad ho-
minum cum Deo reconciliationem, eorum à
servitute peccati, & diaboli liberationem, ju-
stitiæ divinæ satisfactionem, promulgatio-
nem doctrinæ cælestis, & ædificationem Ec-
clesiæ, judicium vivorum & mortuorum:
ideò ad hæc obeunda, data sunt illi ab eâ-
dem Voluntate Dei, dona omnium maxima,
tanta quanta nulli creaturæ, tanta quanto-
rum creatura esse capax potuit. Dedit enim
illi donum hypostaticæ unionis, & associavit
illam naturam humanam naturæ divinæ, in
unâ Verbi personâ, fecitque Christum Dei
Filium naturalem, dedit illi personam, &
cum personâ dignitatem, sanctitatem, autho-
ritatem Dei, aliaque postmodum infinita,
quæ hanc unionem secuta sunt connaturaliter
bona omnis generis.

Ex quo colligam quàm bonum untileq;
sit, hujus divinæ voluntatis instrumentum
fieri, ut quæ tantis auxiliis instrumenta sua
instruat & ditet, quantis opus habent illa mu-
nera, ad quæ illa applicat. Cupiam ergo
magna pro Dei & cum Dei voluntate agere,
si volo magna bona & magna auxilia ab ipsa
obtinere.

III. Si autem vis habere, ô homo, vi-
vum exemplar tam efficacitatis Voluntatis di-
vinæ quàm etiam subjectionis ad illam debi-
tæ, quid hæc Voluntas in Christo egerit,
quid illi imperaverit, quomodo autem
Christus executus sit, diligenter attende.

Voluit ut persona illa dignissima Verbi incarnaretur, & naturæ humanæ corporaliter uniretur, adedò, ut sicut erat vere persona DEI, ita etiam esset verè persona hominis: omniaque munera & officia personæ humanæ obiret & suppleret. Voluit ut incarnaretur ex muliere, non ut sibi conderet naturam, ut Adæ, aut Evæ; Sed quomodo reliqui infantes concipiuntur. Voluit ut ad id uteretur quidem suâ Omnipotentiâ (præsertim quod ex Virgine esset concipiendum illud Verbum) atque Sipientiâ, attamen etiam consensum illius Virginis voluit requiri, & expectari. Voluit Matrem ejus desponsatam esse viro, ut sic videretur non miraculose, nec ex Virgine natus. Voluit ut in formâ parvuli conciperetur, & novem mensibus in viscere materno lateret, illasque angustias & tenebras & vincula naturæ, quanquam plene ratione utens, imò & DEUM intuitive cernens tanto tempore pateretur. Voluit eum peregre hyeme, in itinere, in stabulo extra diversorium exclusum, incommodissime nasci, rudibus pannis involui, in præsepio reclinari, sicque cœlo & terræ, tanti mundi Conditorem, Angelis, Pastoribus, Regibus, egregiè scilicet paludatum & instructum infantulum, vagientem, lachrymulas oculis funditantem, reptantem membris tenellis, ubera fletu poscentem, auxilii indigum, & curæ, omniaque cæterorum pusionum simplicium more obeuntem ac patientem commonstrari, & ostentari.

ostentari. O vim stupendam Divinæ voluntatis? tantum causa est imperare, tantum expressit à DEO homine; fecitque DEUS. O DEI Sapientia, Verbum, Fili, sicine te decet? O majestas itane convenit? O creator repertorque hominum, hoccine decet? Decet, quia Voluntas jubet. Si enim hæc imperare, decet DEI voluntatem, si, inquam, decet DEUM velle, decet & facere. O quam vivum mihi Voluntatis divinæ exequendæ exemplar; si modo is sim, qui imitari velim. Et quidni volo, tanto DEI hominis pro me exemplo?

118.

IV. Et hæc quidem in infantem DEUM, hominem Christum vix natum, potuit DEI voluntas, quò se postea protenderit, etsi, quia sat notum, nil attinet dicere, quia tamen valde utile, multum attinet cogitare. Circumcidi, offerri, redimi, fugâ neci subtrahi inter idololatrias Ægyptios nutriri, abscondi, reportari in patriam, latere ad annum 12. hinc DEI templum adire, relinquere, & contristare dulcissimam Parentem: Doctores interrogare, audire in templo; Subdi deinde Matri & Josepho per omnia ad 30. annum usque, nec ullatenus? quis aut quantum esset? se foras prodere: pœnitentium peccatorumque ritu, Joannis baptismo ablui, turbis peccatorum & publicanorum immixtum: ire in deserta, jejunare quadragessimam, cum bestiis esse, cum quo An-

geli esse indigni, fame confici, tentari; quid? etiam tractari & portari à dæmone. Ita est, nec mirare, nec causam quære, dicet enim
 Matt tibi: *Sine modo sic enim oportet nos implere*
 3. *omnem justitiam*, scilicet, Dei voluntatem; decuit me sic expelli, à Spiritu Sancto in de-
 Joan fertum, ut tentarer: *meus cibus est, ut faciam*
 4. *Voluntatem Patris mei.* Ita non erubescit, sed fatetur etiam se hæc facere jubente & cogente Dei voluntate, quam sibi non facere, nefas sit, & piaculum.

119. V. Nec opus est recensere, quæ jam secuta sunt Prædicationis labores, vigiliæ, inediæ, æstus, frigora, pluvix, itinera, orationes, lachrymæ: conversatio cum omnis generis hominibus, magnis, infimis, peccatoribus: neque meretrices aut adulteræ abjectæ; etiam se gentibus impendit, tum prædicationes, Disputationes, curationes, miracula, insidiæ, fraudes, violentiæ, invidiæ, impeditiones, lapidationes, consilia de interficiendo: tandem & vis illata cum gladiis & fustibus & armis, cum ministris & militibus, & cohortibus. Emptus sanguis venundante discipulo, 30. non amplius, argenteis, & in his omnibus causæ non amplius, quam illud:
 Joan *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, &*
 14. *sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio,*
 hæc patior.

120. VI. Vide verò ultra duras tragædias. Faventem, tædentem, merentem, tristem illum consolationum Oceanum. Vide orantem JESUM ad eò anxie, prostratum in genua, in faciem. Vide nubem, obnuptumvé

Solem sanguineos rores guttatim stillantem; an potius vide Ocellum æterni Patris toto corpore cruentas lachrymas fundentem; Vide euntem hostibus obviam. Ah quid agis voluntas magna: jubes obviam ire, quid attinet? veniunt hostes, festinant, fat veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem quid urges? tantisper differre placeat miseriam Christi. Nihil minus. Imò *surgite, eamus*, ait Christus, ita urgebatur. Ecce appropinquavit proditor, quanto ille festinat amplius, tanto ego urgeor magis obviam. Ad Judæ osculum scilicet fuit festinandum, ô non illa paterna, non amica, non materna sunt; proditoria, hostilia. Judæ sunt. Pro quàm dura voluntatis hujus super Christum imperia! Sed dura in illum, nobis ut mollescerent ut mansuescerent. Et ita revera factum. Sed tamen nos increduli, stulti & tardi corde ad credendum, externam speciem horremus, suavitatem internam non gustamus. At esto sint etiamnum dura, quid tum? divina sunt: Voluntatis DEI sunt, non sufficit hoc, ut fieri à nobis debeant? levioranè diabolica?

Deinde Christus illa executus est propter nos non exequemur nos eadem Christi causa? Indigna voluntas DEI, quæ fiat? Indignus Christus qui exemplo sit? quàm vereor, ne indignus ego, & illam facere, & hunc sequi. Quidquid est. Christus illà omnia executus est. Bibit calicem, bibit avidè, avarè superante etiam siti, cum

cibus ad fundum etiam, dicens, & clamans, cœlos terramque testans, *Scio*: quasi diceret: meus hæcenus cibus fuit Voluntas Dei Patris; jam sum satur hoc cibo, at potum cibus poscit, non est quod bibam, *Sitio*: præstet etiam Voluntas eadem mihi potum, en *Sitio*: Si iterum ab exordio usque ab hunc ipsum crucis & mortis epilogum decurrendum est, placet ire, modo sitim hanc extinguam. O ardorem! ô amorem! ô sitim! Divinæ voluntatis, dignam Christo, dignam Dei filio. Mi JESU illam tuo dono facsentiam, fac patiar, fac illâ crucier. Sitiam siti tua voluntatem Dei.

121. VII. Quæ tandem sequuntur, horret animus: Vincula, cædem, pugnos, raptationem, verbera, vulnera, livores, sputa, judicia, examina, alapas, falsos testes, blasphemias, accusationes, calumnias, ludibria, cum homicidis compositiones, infraque hos dejectiones, tribunalia, flagella, virgas, spinas arundinem, purpuram, genuflexiones, fellita pocula, crucem, clavos, lanceam, necem, sepulturam: Matris præsentiam & aspectum.

122. VIII. Sunt & illa præterea Divinæ voluntatis in Christum imperia, videlicet, Tringenta trium annorum spatio totum Redemptionis nostræ negotium peragere, quod uno fieri poterat momento: Ecclesiam fundare super homines. Eandem ubique gentium propagere, per rudes, vilesque ac paucos ruti-

stuculos : Doctrinam dare & spargere, omni
humanæ sapientiæ oppositam, omnium stu-
diis contrariam, communi depravatæ natu-
ræ repugnantem : augere Ecclesiam mortibus,
cladibus, detrimentis : non in doctis huma-
næ Sapientiæ persuasibilibusque verbis, sed
per stultitiam prædicationis salvos facere cre-
dentes : in adeò paucis, in adeò vilibus externa
Specie Sacramentis merita sua deponere, eorum
usum, & administrationem plus quam vulgarem
facere : Ecclesiam obscuritate fidei, dilatione
spei, invisibilitate gratiæ, incertitudine sa-
lutis sustentare, tyrannide principium vexa-
re, hæresibus purgare, cladibus probare,
funeribus augere, & sic usque ad consum-
mationem sæculi perseverare. Denique tan-
torum laborum, sudorum, dolorum, tanti
Sanguinis, paucorum tantum hominum (eo-
rum qui sine passionis fructu pereunt, com-
paratione) salutem, mercedem, & præmium
recipere.

Quis non obstupescat, voluntatem Dei
hæc imperantem, Christum hæc exequentem
intuens ? O sane magnum aliquid hæc Vo-
luntas est, quæ tantum potest, quæ tanti a-
pud Christum est, cui se tantum Homo De-
us submittit : Submittit autem ad exemplum
meum vel maxime, ut ex ipso discam, Vo-
luntatem DEI nosse, amare, æstimare,
exequi, inhærerî illi, vivere illi, illi evi-
scerari, illi pati, illi perire, illi immori,
O JESU Magister mi, fac me prout melius
nostî, mancipium, jumentum Sanctissimæ
hujus

hujus DEI voluntatis. Tibi verò ô Adoranda DEI voluntas gratulor talem servum, qualis erat Christus, sed in simul rogo, ut quæ tantum in Christum potuisti, & fecisti, possis & in me, facias & in me. Siquidem non minus ego, & sum, & esse teneor, & esse pro meâ pusillitate cupio subditus subiectus, mancipatus, divinissimæ, suavissimæque tuæ potestati, ac dominationi, quàm fuit Christus Quidni igitur me captivas voluntas sancta? nunquid aliud vis à me, quàm ut servus tuus fieri velim. En volo: facito. O quàm felix ero tibi serviens!

CONSIDERA IV. *Quid sit,
& qualis Voluntas DEI
quoad nos?*

I. DEI voluntas est nobis principium
124. essendi. Essentiam enim & naturam, quàm
habet quæque creatura, habet ex DEI voluntate Quod vel ex eo patet: Quia ideo
creaturæ non sunt, nec existunt in rerum
naturâ, quia à DEO conditæ non sunt,
non sunt autem conditæ, quia condi illas
voluntas non fuit. Voluntas ergo DEI
est omnium nostrum, hoc est omnium Creaturarum Mater, quæ nos in Idæis Sapientiæ,
artiumque divinarum regulis, ac in Omnipotentia Divinâ tanquam semine latentes, in
utero suo prima concepit, eduxit, existere,
aliquidque esse ex nihilo, fecit. Voluntas
quoque divina, est velut alveus quidam,
&

& meatus multiplex, Oceanum illum Essentia Divinae multipliciter pro cuiusque nostrum naturæ & essentia existentiam derivans.

Hinc Colligam Voluntatem hanc DEI 125 esse mihi Matris loco habendam, pietateque Matri debitâ honorandam. Colligam etiam curandum mihi esse, ne unquam hunc essentia, influentia donorum divinorum meatum & alveum in me obstruam, aut incidam, sed curabo potius quantum ex me, quàm maximum huic meatui receptum apud me facere, ut quàm copiosissimè per illum ad me bona DEI deriventur: quin etiam studebo ipse huic meatui vias facilitare ad animam meam, novis ut quotidie cursibus & influxibus gratiarum celestium me locupletet.

II. DEI voluntas est Regina nostra, & 126. Domina. Gubernat enim nos quos creavit, providet iis quos produxit, conservat eos, quos fecit. Obiit ergo partes nutricum, parentum, magistratum, magistrorum, pædagogorum. Hinc tota series providentia ejus circa nos naturalis & supernaturalis, adeo lactea delicata, mirabilis, efficax, &c. sollicita, ut sic curet, unum quemlibet, solum ac si curet, de aliis nihil cogitet: passer sine nutu ejus non cadit in terram; capillos numeravit nostros, vestigia nostra considerat: fœnum agri tamè eleganter vestit. Uno verbo tantum cura uni muscæ impendit, & indu-

dustræ suæ dat, quantum totus mundus cum totâ suâ sapientiâ dare illi non posset. Unus homo, si Divinæ circa se Voluntatis providentiam consideraret, vita illi sua non sufficeret: sed oculi nobis non sunt ad ista qui ad vana alia oculatissimi summus. Hoc unum punctum satis esse mihi deberet ad amandam DEI voluntatem, omnique curâ semper exequendam.

127. III. DEI voluntas centrum est, ad quod omnia, & à quo omnia percurrunt. Velit nolit homo Voluntati DEI subest, & eam facit: est enim illa adeò potens & efficax, ut vel in hoc ipso quòd eam homo non faciat, faciat illam; siquidem non est sine DEI voluntate, quòd quis non faciat DEI voluntatem: non enim homo posset illam non facere, si illa nol & se non fieri. Vult ergo non fieri, quod vult fieri? ita omnino, quod enim vult fieri per beneplacitum, vult idem non fieri per permissionem: hoc est, vult fieri; permittit autem, quia vult permittere, suamque libertatem creaturæ conservare. Generosa nimirum est DEI voluntas serviri sibi & servari se vult à Volentibus, neminem cogit. Si vis, servi mihi, ego volo, ut servias, tibi liberum esse volo, ut servias, liber es, fac quod placet. Servis mihi? facis quod volo. Non vis servire? permitto. Sed tamen & sic facis quod volo; facis nimirum id, quod ego permittere volo, at illo discrimine, quod serviens mihi, voluntatis, quam facis

facis, habeas præmium; non serviens mihi, Voluntas quam permittentem facis, habes pœnam. Sic ergo homo peccans currit à DEO placato, ad Deum iratum: dum non vult facere voluntatem coronaturam, facit puni- turam. Et sic ad DEI voluntatem omnia redeunt, omnia currunt, ut ad centrum, sive rectâ lineâ, sive obliquâ tendant, ad centrum tendunt. Hinc colligam consultius esse voluntatem DEI facere coronaturam, quàm ponituram.

IV. DEI voluntas est nobis regula ope-^{128.}randi, & lex vivendi. Voluit nos sibi at- tendere, se nosse, secundum se in omnibus corpusvè animavè attinentibus regi. Un- de omnium omninò nostrarum operationum præscripsit nobis formam: præscripsit autem, vel per seipsam immediate, vel per naturam im- pressam (qualis est in bestiis præscriptio) vel per rationis lumen vel per potestates, vel per con- suetudinem præscripsit quomodo cum DEO, cum superiore, cum pare inferiore viveremus; quid, quo ordine deberemus DEO, nobis, aliis, & ne multa loquar non est actio, non est officii hominis ulla pars, cui legem non dederit DEUS, juxta quam fiat. Facit nobiscum, ut pædagogus, rudem ad huc for- mans puerum, cui omnium agendorum, non agendorum normam dat. Qui se cum pa- rentibus & majoribus, qui cum paribus, inferioribus, qui domi, qui foris gerat, pe- dem sine se domo efferre, à præceptis disce- dere non sinit; si discedat, corrigit, format

aspectum, labia, manuum, digitorum etiam motus, ita agit nobiscum Dei voluntas, si non discolori sumus, ac protervi. Statuam hujus magistri præcepta nosse, iisque regi, curabo discolor non esse puer: si quid in me tale deprehendam, reprehendam, & puniam, & corrigam.

129. V. DEI voluntas aliter nobiscum, aliter cum irrationalibus agit. Cum illis agit, ut cum mancipiis, nobiscum, ut cum ingenuis, alias creaturas juxta suam regulam dirigit, ipsis regulam non attendentibus, unde aguntur, patiuntur, juxta regulam quam agunt; sunt ut instrumenta artificum mallei, linæ, penicilli, quibus artifex utitur in opere, sed ipsa usum sui esse nasciunt. Ortur Sol, lucet, occidit: quare? non scit. rotatur assiduo cælum, quorsum? non scit. indificat avis, quorsum? non scit. aguntur in finem, sed quem, ipsæ hæ res nesciunt; in illum quem intendit DEUS. Alia hominum ratio: Sumus in manu voluntatis Divinæ, ut discipulus apud Magistrum, cujus manum hic tenet, & ducat in opere, sed simul artem docet, & jubet spectare: non solum agit Magister, sed cum discipulo agit: docetque, ut sciat quid & quomodo agat. Itaque voluntas DEI hominem existere vult, sed simul vult ab eo sciri, cur existat; vult illum vivere, sed vult scire quare, & quomodo vivat; vult agere, sed vult scire quare & quomodo agat: hinc illi regulam ostendit existendi, vivendi, agendi, loquendi

quendi, cogitandi, orandi, laborandi, omnia operandi, non operandique, juxta quam omnia perficiat. Quæ hæc regula? modo dixi. Voluntas ipsa, quomodo ostendit illam? Inspirando, in scripturis revelando, per rationem dictando &c. Sicut ergo discipulus non errat, Magistri ductum, & artis præscripta servando, sic homo DEI voluntatem in omnibus attendendo. Age ut tē DEUS agere vult, omnia Sancta sunt. Et hæc esse unica cura hominum deberet; sed pro dolor! non est. Vivimus & agimus vel casu, vel ex nostro, vel ex hominum arbitrio, non è DEI.

Ex his discam, quæ sit hominum felicitas habere hunc Doctorem! quæ felicitas eundem sequi. 130.

2. Discam, quæ debetur gratitudo Divinæ voluntati, quæ me in omnibus etiam vilissimis actibus meis dirigit per seipsam.

3. Discam, Amorem honesti, & ordinis, & regularum. Voluntas DEI tam ordinem amat, ut se totam occupet in ordine inducendo, perturbatione verò ordinis excludendâ, Nullam actionem reliquit sine regulâ.

Hinc 4. discam, omnem regulam quamcunque non metiri ex objecto de quo est, sed ex authore, à quo est. Regula illa, quam despicio, DEI voluntas est, & hoc audeo? 131.

5. Discam, summam esse felicitatem regi voluntate DEI, & ipso DEO: summam miseriam esse, recedere à voluntate DEI, quia est recedere à DEO; summam esse stultitiam eâ uti nolle, quia hoc est DEO uti nolle. Atque id tam in parvis, quàm in magnis rebus, quia eadem est in omnibus DEI voluntas, esto non eadem quæ vult; non est autem injuria objecto & rei volitæ, sed ipsi volenti, & voluntati; quod diligenter notandum est parvarum legum contemptoribus, in Religione, in Republicâ, in Conscientiâ,

CONSIDERA V. *Quid exi-
gat à nobis Voluntas
DEI?*

132. *Primo.* Exigit à nobis voluntas DEI cognitionem, ut scilicet eam perfecte sciamus, quantum ad officium, statum, ætatem. Occupationes nostras attinet. Hoc enim sublato, frustra sunt reliqua. Hinc fons perditionis humanæ, Ignoratio voluntatis Divinæ: ad eam tolendam ipse Deus homo factus est, & Magister voluntatis suæ esse voluit, docuitque quid credi Deus, quid fieri vellet à nobis; docuit non verbo tantum, sed etiam exemplo. Ex hoc concludam crebro regulas officii mei, status, occupationum mearum relegere, expendereque me debere, aliosque ad id inducere.

Secundo.

Secundo. Exigit voluntas DEI à nobis Amorem & Æstimationem sui super omnia quæcunque, cujus exemplar habemus in Deo & Christo. Causæ amoris hujus patent ex prædictis fatis. 1. Dignitas hujus voluntatis. 2. Exempla DEI, JESU Christi, Sanctorum, beatorum in cælo, rerum inanimatarum. 3. Utilitates sive effectus hujus voluntatis, quos in DEO, in Christo, quos nobis & in nobis facit; ut quod illa principium essendi nobis est Mater, Regina, Regula, centrum, omnium perfectionum compendium. Necessitas: volentes enim nolentes illi obsequimur, ut supra dixi. Conf. 4. n. 3.

Tertiò. Exigit à nobis voluntas DEI ^{133.} exercitium & usum sui. Ad hoc enim est: ad hoc se prodit: non enim gratis vult, sed ideò, ut sit quod vult. Ad hoc se manifestat & plane obtrudit infinitis viis & modis, ut exerceatur. Ad hoc minatur ingentes misérias neglectoribus sui, ut scilicet non negligatur. Nihil punit Deus, nisi suæ voluntatis contemptum & quantum punit? tolle hunc, infernus non erit. Ad hoc præmia promittit, sibi obsequentibus, ut sibi serviatur. Nihil coronat, nisi sui executionem; quibus præmiis? tantis, quantis ipsa vult, tantis autem vult quantis potest; ipsius enim velle est posse. Et quis Tibi non serviet voluntas sancta! Voluntas magna! O me millies contingat mori priùs, quam Tibi in puncto & apice non conformari!


Reliquas Considerationes, nihil attinet
me repetere, ne actum agam, dictumque
dicam. De Substantia & Actibus hujus
Exercitii, vide supra Cap. 13. De Excel-
lencia, Perfectione, Effectis sup. Cap. 8.
De modis facile reddendi hoc Exercitium,
& de affectibus, quibus peragi possit.
sup. Cap. 13. ante finem &
Cap. 14.


Provinc. Polon. Soc. Jesu


F I N I S



net
ue
us
el-
8.
n,







Th
3284